O tym będzie Konsystorz poprzednio uwiadomiony w celu wyznaczenia Osoby Duchowney któraby całemu Opisowi przytomną była. —

W Warszawie dnia 24 Lipca 1828 r.

P. Kraszyński Sekretarz Metr.

Dla

JX Superiora XX
Kamedułów
na Bielanach

I. N. J.

EXERCITATIONUM ANATOMICARUM IN PUBLICAS LECTIONES

DE

ORIGINIBUS ANATOMICÆ,

PRIMA,

Quam

AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

CONSENSU,

PRÆSIDE

PHILIPPO JACOBO Hartmann/

Phil. & Med. D. P. P.

Examini Eruditorum

submittit

THEODORUS FRIDERICUS STADLANDER PRUSSUS.

Anno 1683. d. Febr.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND. ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM. 1683.

I. N. J.

CAP. I.

I.

De ortu Anatomicæ cum aliis artibus communi. II. *Quæ eam olim fecerint negligi* (1.) *mactatio animalium quondam invisa: notata in Aa. primis; cum immolatione damnata Pythagoreis & gentibus.* III. *admissa in sacrificiorum usum non caruit notâ, cum accuratè observarint an victima reluctaretur, vel voce in consilium adhibitâ. De origine immolationis.* IV. (2.) *à cadaverum contactu pollutio; à dilaniatione execratio metuenda.* V. *Anatomicæ rudimenta ab Haruspicinâ. hujus origo. an fuerit ars.* VI. *Plurima ejus munera. Ex his, quod Anatomicæ præbuit ortum, extorum inspectio. Eapropter & Medicis & Philosophis citatam Extispicinam.*

§. I.

PRincipium *artis* ab ipsâ rerum naturâ; studium & *incrementum* dat utilitas; *summam* ratio & exercitatio. Hanc Rhetorices, hanc Medicinæ originẽ *Quintilianus Instit. Orat. 3, 2.* Eandem nos & Anatomicæ meritò asserimus. *Siquidem* corpora animalium, variis modis in partes dissolvi nata, hominum advertérunt animos, quî rite dissecarentur; *usus*, in Physico potissimum opere atqve Medico, industriam conciliavit & magmentum: *ad fastigium* ardua æmulantium meditatio & improbus evexit labor. conf. *Gal. de constit. artis Med. c. 3.*

§. II. *Duo* autem fuerunt, *quæ olim nostræ arti posuerunt obicem:* quod viva quidem mactare quondam plerisqve fuerit religio: cadavera verò, vel contingere, nefas; lacerare, scelus. Sane tanquam *insolitæ rei auctores* observavit vetustas eos, *qui primi* innocuo *pecori intentarunt necem:* Sic *Plinio H. N. 7, 56.* Hyperbius Martis filius animal primus, Prometheus bovem notati occidisse. *Plutarcho in II. Orat. de Esu Carn.* barbariei & tyrannidis damnantur. Ista causa fuit *quare Pythagoras abstinuerit animalibus* juxta *Sen. Ep. 108.* quod crederet, crudelitatis consvetudinem fieri, ubi in voluptatem esset adducta laceratio. Quamvis enim *Pythagorei* inter *animalia* maximè pisces legantur *aversati*, apud *Plutarch. 8. Quæst. Conviv. 8. ab omnium* tamen *esu temperasse*, ex monumentis literarum addiscimus. Eapropter *Lucianus in Auctione Vitarum* Pythagoreum rationem diætæ exponen-

ponentem introducit. *Nullum quidem animal* (ψυχῷον) *edo, reliqua verò omnia præter fabas.* Cui adstipulantur *Porphyrius, Jamblichus, Sextus Empiricus, Ovid. 15. Metam. à v. 71. Diog. Laërt. &c.* quin *sacrificia propterea neglexisse* traduntur à *Sexto Empirico adv. Mathem. l. 8.* cum impiè illos agere assererent, *qui rubra Deûm calidâ faciunt altaria cæde.* quibus robur addit *Plutarch. de Placit. Philos. 5, 1.* disserens, quod Plato & Stoici plerasqve divinationis probent partes. *Pythagoras verò*, inquit, *solum haruspicinam* (τὸ θυτικὸν) *non probat.* consentiente *Diog. Laërt.* & *Gregor. Nazianz. Ep. 183.* Talis fuit & pauperum victima. Vid. *Suid.* βοῦς ἕβδομος: Et θύσον. Ex quibus fortè explicandus *Auctor incertus de vita Pythagoræ apud Photium,* qui refert, *animalibus abstinuisse, & ex solis victimis certo tempore* (κατὰ καιρὸν) *gustasse.* Sed & gentes quasdam, non solum certi animalium generis (quorum pleraqve *Sextus Empiric. 3. Pyrrhon. Hyp.* recenset) sed omnis cædem sibi interdixisse constat. *Solinus Polyhistor. c. 52.* de moribus populorum Indiæ dissonantibus. *Plurimis placet, neq; animal occidere, neq; vesci carnibus.* Quæ Pomponio Melæ, Herodoto primo auctore, Solinus debet.

§. III. *Cum* tandem *in victimas cederent animalia*, crudelitatis notam eorum cædes vix effugisse pluribus proditum est indiciis. *In promptu est*, inquit *Plutarchus 8. Quæst. Conviv. 8. cùm sermonibus tùm sacrificiis veterum ostendere, non esum modo, sed & cædem animalis innoxii eos pro facinore impio & nefario duxisse, multitudine tamen superfusâ oppressi, simulq; oraculo delphico (ut ajunt) jubente opitulari frugibus quæ perderentur, mactare aggressi sunt. Interim tamen animis turbatis & meticulosis, facere hoc & operari* (ἔρδειν μὲν ἐκάλουν καὶ ῥέζειν) *nominaverunt, ut qui animato interficiendo magnum aliquod facinus committere se arbitrarentur. Et in hunc usq; tamen diem id maximo opere observant, ne jugulent victimam, nisi immolata annuat. Adeo sibi ab omni caverunt injustitia &c.* H. I. Quæ postrema prolixè exponunt Grammaticorum filii. *Macrob. 3. Saturn. 5. Observatum est à sacrificantibus, ut si hostia, quæ ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata, ostendissetq; se invitam altaribus admoveri, amoveretur: quia invito Deo offerri eam putabant. quæ autem stetisset oblata, hanc volenti numini dari existimabant. &c.* Infaustum sanè habebatur, si reluctans immolaretur; Cujus egregium exemplum illa *Senecæ in Oedip. à v. 334.* exhibent.

Ubi *Tiref. Pudet Deos &c. Placidone vultu facra & admotas manus patiuntur? &c.* aut fi voce horridâ adverfans: Unde illud *Ovidii 7. Metamor. v 598.-- Mugitus victima diros edidit. &c.* uti contra ea, fi mitem & fubmisfam edens, faufti ominis erat. Quod *Lucianus l. de facrificiis* expresfit: *Deinde ad aram applicant, ac fub oculis Dei jugulant, flebile quiddam emugientem, beneq; (ficuti conjicere licet ominatam* (ἐφημῶν), *deniq; voce jam leniore ad facri tibias refpondentem* (καὶ ἡμίφωνον ἤδη τῇ θυσίᾳ ἐπαυλῶν) Huc fortè facit *mos Ægyptiorum*, quem ipfis fingularem obfervat *Lucianus cit. L. de facrif.* quô Victimarum cædem quafi expiasfe videri posfunt. *Porrò facrorum*, inquit, *peragendorum idem fermè apud illos ritus, nifi quod hoftiam luctu profeqvuntur, jamq; mactatæ circumfufi membra laniant, funt qui fepeliant duntaxat, pofteaquam occiderint.* H.I. Conf. *Herodotus. l. 2.* Cœterum qui *Auctores* noftra illuftrantes majori numero defiderat, quod ritus facrificiorum memoratos, adeat CL. *Briffonii L. 1. de Formulis Vet.* Quod verò ipfam attinet immolationem, quibus gradibus ad illam tandem fit deventum, *Porphyr. 2. de abftinentia à §. 5. ad §. 13. excl.* quibus addat *§. 27, 28.* ab ovo, quod dicitur, ibi omnem rem cognofcet.

§. IV. Alterum quod concernit, *cadaverum contactum* pollutos reddidisfe, ubiqve tàm in Scripturæ Codice, quam in gentilium faftis exempla demonftrant, modo ad illud, quid *funeftum* & *morticinum* ipfis fuerit, refpiciamus. *Plutarch. in Vita Syllæ* refert, *quod Sacerdotes ei vetuerint Metellam uxorem moribundam adire; vel funere domum ejus pollui; quare ei libellum repudii mifit, jusfitq; fpirantem adhuc in alind domicilium transferri.* & *Porphyr. 2. de abftinent. §. 50. quod facrorum antiftites, & aruſpices, tùm fibi ipfis, tum aliis præceperint, ut à fepulchris* &c *abftinerent.* conf. *Jamblich. de Myfter. Æg. S. VI. c. 1. & 2.* & *Notas Th. Gale in h. l.* Dilaniare verò eadem inhumanum & crudele eft vifum: adeò ut Ægyptii in curatione funeris fciffores execrati fuerint, licet abfqve his corpus faliri neutiquam posfet. Ita enim *Diodor. Sicul. 1. Antiqu. Par. II. c. 5. Primus is qui fcriba appellatur, pofito humi corpore circa ilia defcribit, quantum à finiftra parte incidatur. Deinde qui dicitur fciffor, habens lapidem Æthiopicum, quantum lex finit, latus aperit: fubitoq; curfu perfequentibus qui adftant, lapidesq; cum execratione in eum jacientibus, fugit. exiftimabant enim odium inhærere, quicunq; a-*

gnati corpus vulnere illato violarit. H. I. Ad quod factum fortean, alludunt illa *Curtii L. 10, 14.*

§. V. Verùm ubi crebro animalia mactandi invaluit consvetudo, cum hâc rudis Anatomicæ subnasci cœpit forma. Inprimis victimarum inspectione in artem à gentibus translatâ, utpote quæ peculiare divinationis genus Haruspicinam constitueret. Hujus originem *Æschylus* Prometheo vindicat; legatur *à v. 482. Cic. l. 1. de Divin.* ab Hetruria arcessit natales. Ast *Gregor. Nazianz. in 3. Orat. adv. Julianum*, Chaldæos vult primos auctores: à cujus potissimum partibus veritatem stare meritò arbitramur. An verò rectè artis ornetur nomine Haruspicina, hoc prolixè *Cicero duobus de divinatione libris* disputat, inquirens ad quodnam genus artis sit referenda. *Porphyrius* verò *l. 2. de abstinent. §. 51, 52.* eam hoc indignam æstimare videtur titulo: quem & *Sextus Empiric. adv. Mathemat. l. 1, 10.* ipsi reddit dubium, edisserens, *quod ex artibus aliæ quidem sint* (τῷ ὄντι) *revera artes, ut statuaria & pictura: aliæ autem sint quidem professione,* (ἐπαγγέλματι οὐ πάντως ἢ καὶ κατ᾽ ἀλήθειαν) *revera autem non sint* (ὡς χαλδαϊκή τε καὶ θυτική) *uti Chaldaica & haruspicina.* Cum quo & nos facimus.

VI. Plurima autem haruspicinæ fuerunt munera. de quibus præter *Ciceronis citatos libros* consuli possunt Auctores, *Peucerus de præcipuis divinationum generibus:* ex quo sua exscripsit *Rosinus 3. Antiqv. Rom. 11. Saubertus de sacrificiis veterum c. 18. seqq. Etc.* Sed quod palmarium ipsius opus, quo nostræ scientiæ præbuit incunabula, *extorum* fuit *inspectio.* Hinc adeo ab antiquissimis Medicorum & Philosophorum, Extispicinæ documenta in testimonium adhibentur, quando usum aut historiam partium edisserunt. *Hipp. π.* ἀρχῶν de jecoris constitutione. *Cujus rei hoc a me proponitur argumentum* (τεκμήριον). *Cum quis victimam jugulat, quamdiu sangvis calidus est, liquidus etiam manet, ubi verò perfrixit, concrescit &c. L. de Natura Pueri.* sana lochia sangvini victimarum itidem comparat. quod *L. 1. de Mor. Mul.* bis repetit. *l. de corde.* de valvulis Cordis. *Ac si quis veteris instituti probe gnarus, mortui animalis corde exemto, hanc quidem demat, illam verò reclinet, neq; aqua in Cor penetrare, neq; flatus emitti poterit.* Istud antiqvum sacrificiorum ritum respicere, quo cor eximebatur, & aris imponebatur, *Foësius in Com. n. 32,* observat, citato hanc in rem *Galeno.* Hic

2. de

2. *de Pl. H. & Pl.* probaturus, quod ſpiratio & vox non ſit à corde, exponit quomodo cor ſit denudandum, eademq́; ἐγχειρήσει totum non improſpere eximi poſſe unâ quaſi diſſectione. *Accidit hoc ſane*, inquit, *etiam in multis ſacrificiis, quæ ſic de more celebrantur: & apparent animantia, corde jam aris impoſito, non reſpirare tantum, aut clamare fortiter, ſed etiam fugere, usq; dum ſangvinis profluvio commoriantur.* H. I. *Oribaſius 24. Collect. 3.* de ſpinali medulla: ---- *ſi ſectio in eâ parte fiat, quæ eſt inter caput & primam ſpinalis medullæ vertebram media, quum membrana finem poſterioris cerebri ventriculi contegens inciditur, animal ſtatim totius corporis vires, & ſenſum amittere. quam etiam partem in tauris, ab iis qui boves immolant, videmus præcidi.* H. I. Ex Philoſophis Ariſtoteles *3. de Part. animal. 4.* asſerens, quod Cor nullum gravem morbum diu ſuſtineat (χαλεπὸν πάθος οὐδὲν ὑπομένει) *indicium* (σημεῖον), inquit, ---- *quod in nulla hoſtiâ cor ita affectum viſum adhuc eſt, ut in cæteris viſceribus cernitur. &c.* Et de fellis defectu ac abundantiâ edisſerens *1. Hiſt. Animal. 17. Fellis privationem vel in victimis nonnusquam percipi certum eſt: quippe cum parte quadam agri Chalcidici Euboeæ fel nunquam pecori ſit: aſt in Naxo omnibus fermè quadrupedibus adeò grande, ut qui ſacra fecerint advenæ ſtupeſcant, rem ſcilicet prodigii loco ſibi arbitrantes, non talem eſſe naturam terræ illius quadrupedum. Plinius* quoqve pasſim *in H.N.* extorum inſpectorum meminit. Vid. e. g. *L. 11, 37.* ut alios Auctores ſilentio prætercam.

CAP. II.

I. Quid Anatomica Extiſpicinæ debeat (1.) nomina, græca, Latina. II. (2) partium internarum cognitionem e.g. hepatis (cujus potiſſimum ratio habita) III. item aliarum. IV. quod Extiſpices in partibus conſiderarint, quid ſecundum naturam, præter naturam, & inſolitum. Hinc læta, triſtia, dubia exta V. Phyſicæ gnari fuerunt.

§. I. Et ſanè plurima ſunt, à qnibus ſua *rudimenta Anatomica* eſt auſpicata, quæ *Extiſpicinæ debentur. Primum* enim *nominum* plerorumq́;, quibus uſus eſt in noſtrâ hac diſciplinâ, Extiſpices meritò habentur Auctores. Integer illorum catalogus contexi poſſet, ſi conditio hujus loci pateretur, pauca ſolùm tangam: *Ex Græcis* Σπλάγχνα *apud Stephanum* de animalium, quæ mactan-

 tur,

tur, id eſt, victimarum viſceribus ſive extis frequentiſſimè: *Homero* & *Æſchine* hanc in rem citatis. λοβὸς itidem ex diſciplinâ extiſpicum translata vox eſt, de qua *Etymologicum magnum* apud *V. D. Linden Med. Phyſ. c. VI. artic. 20. §. 181.* Παρὰ τοῖς θυτικοῖς τὰ κάτω μέρη τοῦ ἥπατος οὕτω λέγεται. *Ab Extiſpicibus ita appellantur inferiores partes hepatis.* Idem *V. D Linden artic. 15. §. 91. Auricularum Cordis* appellationem Hippocrate vetuſtiorem à Sacerdotibus oriundam non vanè credit. Ita etiam *Portarum* nomen ab Haruſpicinâ, licet *Gal. 4. de Uſu part. 1.* putet à viro quodam antiquo naturæ perito illud inditum; cum nobis tamen facit *Heſychius* loco infra adducendo. *Ex latinis* pariter *Viſcerum, Extorum*, nomen ab Extiſpicina in Anatomicam traductum; non minus, quam illud *fibrarum*: quas *Iſid. Hiſp. Orig. II, 1.* vult dictas, *quod apud gentiles in ſacris ad Phœbi aras ferebantur ab ariolis, quibus oblatis atq; ſuccenſis reſponſa acciperent.*

§. II. Verùm plus emolumenti in noſtram collatum eſt ſcientiam eô, quod *Extiſpices membrorum internorum* inprimis, *naturam* diligenter fuerint *intuiti.* Primi quidem omnium hepar ſolum inſpexiſſe videntur: Unde jecinora pro ipſis victimis poſita legimus apud *Diog: Laërt in Vita Pythagoræ*: fortè quod hoc fontem crediderunt ſanguinis & vitæ; uti Poëtas græcorum antiquiſſimos legimus eapropter introduxiſſe non cor ſed hepar ſibi percuſſuros. Ita *apud Sophoclem in Trachinianis v. 941. & Euripid. in Oreſt. v. 1090. in Phœnis. v. 1430. in Medea v. 40.* Atq; ſequentibus etiam ſeculis, licet alia in conſilium adhibita fuerint viſcera, primo tamen loco hepar conſuluerunt. Quare ars quoq; ipſorum dicta fuit ἡπατοσκοπία, hepatis inſpectio, a potiori ejus parte. *Suid.* ἡπωρ. --- ἡπατοσκοπία, ἡ τῶν ἐγκάτων ἀνατομὴ, δι' ὧν προεμήνυον τὰ συμβησόμενα. ἀνατέμνοντες γὰρ σημεῖα τίνα ἐθεώρουν ἐν τοῖς ἐγκάτοις. *hepatoſcopia interaneorum* ſive viſcerum *anatome, ex quibus eventura præſagiêrunt. Diſſecantes enim ſigna quædam intuiti ſunt in interaneis.* Qui plures Autores de hac voce Hepatoſcopiâ deſiderat *apud Briſſon:* laudatum conſulat *Philoſtratum 8. de vita Apollonii: Phlegontem L. π. θαυμασίων: Herodianum l. 8.* Sane extorum nomen ſecundum excellentiam hepati *Plinius* aliquoties tribuit *L. 11. H. N. c 37. Cuniculorum exta in Betica gemina. Exta Serpentibus & lacertis longa &c.*

§. III.

§. III. Successu autem temporis omnia viscera Extispices lustrarunt unde Ars ipsorum σπλαγχνοσκοπία, viscerum inspectio audit apud *Suidam*: & apud *Stephanum* Σπλαγχνοσκόπος, σπλαγχνοτόμος haruspex. Σπλάγχνα autem apud *Hesychium* omnis generis partes intestinæ. Σπλάγχνα, ἧπαρ, ἔγκατα, καὶ τὰ ἐντὸς τῶν ζώων. *Viscera, hepar, intestina, & quæ intus sunt in animalibus*. Quando cor Extispicum curæ apud Romanos cesserit, *Plinius* citato *L. 11, 37.* memorat. *Non semper hoc autem*, inquit, *in parte extorum habitum est. L. Posthumio Albino Rege sacrorum post centesimam vicesimam tertiam olympiadem, cum Rex Pyrrhus ex Italia discessisset, Cor in extis haruspices aspicere cœperunt.* H. I. Sed & aliarum partium rationem habitam ex Auctoribus addisces, *Plin. l. c.* fellis & lienis meminit: *Æschylus in Prometheo* intestinorum: *Cicero L. 1. & 2. de divin.* pulmonum.

§. IV. Neq; obiter aspexerunt istas partes, sed solicitè in eas inquirentes in hoc potissimum intenderunt animos: *an secundum naturam* omnia, quæ oportebat, adessent: *an præter naturam* vitio essent oblæsæ: *an verò præter consuetudinem* insoliti quidpiam ostenderent. Hæc tria summa fuisse capita, vel signa quæ secantes exta sunt contemplati, quibusqve innixi de rerum eventibus aliquid ausi sunt prædicere Haruspices, Auctores facile reddent manifestum. Et cum *læta exta* essent, & boni ominis, *quæ* omnes *sanitatis notas exhibebant*, hinc Prometheus Auctor hujus scientiæ *apud Æschylum* talia solum recenset *v. 482.*

Σπλάγχνων τε λειότητα, καὶ χροιὰν τίνα
Ἔχοντ' ἂν εἴη δαίμοσι πρὸς ἡδονὴν,
χολῆς, λοβοῦ τε ποικίλην εὐμορφίαν.
Κνίσῃ τε κῶλα συγκάλυπτα. καὶ μακρὰν
Ὀσφῦν πυρώσας, δυστέκμαρτον εἰς τέχνην
Ὥδωσα θνητούς.

Viscerum lævitatem, & colore quali prædita divis forent grata, fellis item & lobi variam formositatem; Et pinguedine intestina obtecta, & longos lumbos incendens, ad conjectu difficilem artem, viam monstravi mortalibus. Contra ea, cum *in tristibus* haberentur, *quæ languerent*, aut morbo confecta essent, talia ab Haruspicibus observata traduntur, ubi infaustum quid portendi fuerunt ominati. Legatur *Seneca Tragœdus in Oedip. à v. 351. Tir. Sed ede*

certas

certas viscerum nobis notas &c. & *M. Annaeus Lucanus Civilis belli sive Pharsali: l. 1. f. à v. 608. usq; 638.* ----- *sacris tunc admovet aris*

Electâ cervice marem, &c.

Unde *Ovid. 7. Metam. v. 601.*

Fibra quoq; ægra notas veri, monitúsq; Deorum
Perdiderat: tristes penetrant ad viscera morbi.

Rara verò & *insueta* quæ Partes lustrantibus offerebant, dubiæ erant sortis, queis modò felices modo tristes rerum judicabantur exitus. Uti itidem vel *ex Lucano & Seneca*, vel ex seqq. addisci potest. Qui plura hanc in rem desiderat, evolvat Auctores, *Majolum in Dieb. canicularib. Alexandr. ab Alex. Gen. Dier. Peucerum. Etcc.*

§. V. Eapropter *naturalium peritissimos fuisse Extispices* ex monumentis liquet. *Diodor. Sic L. 5. (al. 6.) c. 9.* de Celtis: *Est apud eos moris, nullum absq; Philosopho sacrificium facere. Existimant enim, per Divinæ naturæ conscios sacra fieri oportere, tanquam linguæ Deorum peritos &c. Strabo l. 4. Geogr.* de Gallis, quod tria apud eos hominum genera: βάρδοι, ουάτεις καὶ Δρυίδαι. ---- Ουάτεις ----- ἱεροποιοί καὶ φυσιολόγοι. Δρυίδαι δὲ πρὸς τῇ φυσιολογία, καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσι. *Bardi, Vates, Druidæ.* ----- *Vates* ---- *sacrifici & Physiologi. Druidæ præter Physiologiam & Ethicam Philosophiam tractant.* Et *Cic. 1 de Divin.* quamvis ad genera divinandi, non naturalia, sed artificiosa haruspicinam referat, principiis tamen Physicis eandem niti arguit. Ita enim finiens hunc librum: *Atq; hanc quidem rationem naturæ difficile est fortasse traducere ad id genus divinationis, quod ex arte profectum dicimus: sed tamen id quoq; rimatur quantum potest Posidonius: cum esse censet in naturâ signa quædam rerum futurarum. Ut enim Ceos accepimus ortum Caniculæ diligenter quotannis solere servare, conjecturamq; capere, ut scribit Ponticus Heraclides, salubrisne an pestilens annus futurus sit: &c:* Idem Democriti auctoritate confirmat. Quamvis autem *in 2. L. de Divin.* Cicero has rationes, Democriti inprimis, rejiciat, tamen Stoicis illas probatas *ex Seneca* addiscimus. Siquidem hic *2. Qu. Nat. c. 32.* contra illos disputans, qui exta in ipso immolationis actu immutari credebant, quos etiam *Cic. 2. de Divin.* damnat, (secus quam *Marcellinus L. 21. init.*) innuit esse in extis, ex quo ritè quid colligi possit. Idem declararent Libi haruspicini Etruscorum, quos *Cic. 1. de Div.* allegat, si eorum monumenta ad nos

perve-

ervenissent. Vel proverbium, quod *Phædrus 3. fab. 42.* habet, idem rguit. *Usu peritus hariolo velocior Vulgo esse fertur: Vid. fabula.* Conf. *Ammia: Marcell. l. c.* qui Julianum excusat. Nostramqve sententiam illustrant ea quæ *Plutarchus sub fin. L. de Oraculorum defectu* recenset, quod non solum corporis, sed & animi in victima scrutati uerint sanitatem. Quibus alia atqve alia adjungeremus, ex *Jamblich. de Myster. Æg: S. III. c. 15. 16. Porphyr. 2. de Abstin: §. 40. Orig: contra Celsum L. 8.* si illud solum ageremus.

COROLLARIUM,
De Prægnationis signis.

I. P*Rægnatio* cum sit *opus uteri secundum naturam*, *feminarum* solùm esse constat, & quidem quatenus sunt *sanæ*; si non *totum corpus*, quoad *uterum* saltem.

II. *Has igitur* pædiâ instructus *intelligit*, *quando simpliciter quæritur*, *an tecmiria* (quo nomine *Arist. Hesych. Suid. &c.* necessaria, sive certa signa exprimunt) *Prægnationis dentur?*

III. Quod Problema si rite vis expedire, *latitudinem Prægnationis* distinguas prius. *Alia* enim dicitur, quâ, ut cum *Macrobio* loquar, in vitam modo hæsit semen, exiguumqve ac tenerrimum fœtum primæ fovent hebdomades; *alia*, quam plenior, quæ *Apuleji* sunt, maturavit uterus, ubi incrementum cepit embryo & robur.

IV. *Prioris tecmiria esse*, *neutiquam concedimus*; non solum exemplis, quæ apud *Hipp. Arist. &c.* occurrunt permoti, sed & *rationibus*: quod effectus intra hoc tempus Prægnationis, *partem* sibi minus sint constantes, e. g retentio seminis, mensium supressio &c. *partem* sint obscuri, e. g. vasorum turgescentia, tumor ventris, &c.

V. Contra ea, *Posterioris*, quæ alterum, tertium, sequentesve vidit menses, *luculentissima*, si ulliûs aliûs rei, *statuimus tecmiria*: in tantum, ut licet antecedens non fuerit cognitus congressus, perspecto solum sanitatis habitu, unà cum suppressione mensium, & quæ hanc sequitur, vasorum in hypogastrio (in pedibus etiam, si mensibus abundarint) elatione, abdomine insuper prominulo, nunquam obstetricum aut aliarum quarumvis animadversio eludatur. Hinc adeò à Prudentibus *ad balnea* suspectæ amandantur; Idem JCtis longo rerum usu probata *Ventris* vult *inspectio*; præsertim cum in iis, quæ primum gerunt utero, vasorum major elatio: cujus rei *rationes ex Physicâ* solidè est addiscere.

VI. Hisce si in mammis tumorem, lac; in ventre motum add
tecmiriorum numerum augebis. Quibus etiam accessio fit illis, q
obstetrices contactu orificii uteri explorant. Ad quod genus expe
menti *Hippocrates* sæpius provocat, ejusqve evidentiam *sectiones an*
malium fœtorum egregiè ob oculos ponunt, teste insuper *Sorano*
π. μήτρας.

VII. Quare *non est quod venatoribus cedamus*, qui audacter de Pra
gnatione definiunt. Eaqve propter Medicos subinde idem factitas
legimus; qui si aliquando aberrârunt, ipsorum incuriæ, non rei viti
adscribendum erit.

VIII. Neq; istis, *quæ viris accidunt*, e.g. tumor, lac &c. tecmiria Præ
gnationis infringuntur: quippe viri non habent subjectum, uterun
scilicet, quod Prægnationem de ipsis prædicari permittat.

IX. Nonplus virtuti tecmiriorum nostrorum detrahent, *quæ præte*
naturam fœminino generi insunt: de sanis enim, uti diximus, est quæ
stio. Unde *Hipp. &c.* suis exemplis nos docent, ut *Prægnationis sign*
quam colligamus, de sanitate, potissimum uteri, certi simus prius.

X. Quod *si Uterus sit affectus*, e. g. apud *Hipp:* Hydrope, molâ, fa-
tendum quod tecmiria demum accedens *motus* constituat; *non qualis-*
cunq;, sed qui embryonum est proprius; non, qui violentus, molestus, quo
eadem semper pars feritur, quo abdomen palpitat, qui fluctuans, qui di-
stensivum quid præ se ferat; *sed* blandus, diversis in locis, diverso tem-
pore, uno ictu, unam partem feriens, &c.

XI. *Ad solubilia signa*, præter urinam, & *ciborum* referimus *fastidium.*

XII. T*ecmiria Prægnationis intelligi ex re publicâ est.* Non dicam; *quod*
errori, quo amantes aliquando famam prostituunt, illo obviam iri possit, ut
honor qualiscunq; constet matrimonio: Sed, *quò infanticidæ* excusatius pec-
care nequeant, fingentes se ignorasse quod fœtum gestarint: quin, cum ex-
perientia testetur, esse *ex maritatis, quæ* seu ob luxum, seu ob avaritiam, à ve-
tulis & medicastris pharmaca accipientes, fœtum, gentilium ad instar, abi-
gunt, sciant crassam & affectatam esse, quam causantur, ignorantiam: *ho-*
nestiores vero animum exin magis advertent, ut ne abortibus & tristibus
ignorati uteri experimentis ipsarum funestentur domus, *Juvat etiam* ea
novisse, ubi incerta est successio, quod apud Curtium historia de posthumo
Alexandri M. edisserit.

XIII. *Mas an fœmina prægnatione geratur*, ejus tecmiria dari Galenus meritò
in dubiũ vocat, licet contrariũ suadeant historia ap. *Eutych: Alex: Patr. Annal.*
To: I. de Harmoz Regis Persarum Uxore, & complurium Dd. auctoritas.

XIV. *Temporis* verò, quo prægnatio sarcinam sit depositura, *tecmirium* (si
cum latitudine quadam accipiatur, pro aliquot dierum spatio) est ex motûs
primordiis rectè observatis. *Momentum verò* aut horam vel diem certo
determinari posse, rerum negant documenta.

CAP. III.

I. Probatur cognitio Extiſpicum quoad interna membra (quorum potiſſimùm eſt Anatome) exemplo hepatis. Caput extorum? Hoffmanni ſententia rejicitur. Vocis Lobi & Fibræ homonymia. II. peculiaris lobi ſignificatio: hinc à Latinis reddi, caput extorum aut fibrarum, quando non integram partem aut extremum notat. Alexandri ab Alex. opinio, quod caput extorum ſit ipſum hepar, rejicitur. Rhodii. III. Bocharti, quod jothereth, non membrana, ſed lobus, & quidem maximus. IV. Vera ex Anatome: tria victimarum, ex terreſtribus, genera, boves, oves, capri, gentilibus cum judæis communia. horum jecinora habent lobos, Veterum, non Recentiorum Anatomicorum, modô ſumptâ voce. V. Suſpenſorium his jecinora in dextrum & ſiniſtrum lobum dirimit. dexter maximus eſt, cui veſicula fellis adhæret; hujus apex protuberat, isq; ipſe caput extorum eſt, ſive lobus, ſignum illud. legendum ἄλοβον ἧπαρ. Plutarchus græce exprimit capitis vocem Splenis apex caput dictus, &c. VI. quod jothereth ſit caput extorum. ex Auctoribus, ratione: quod Omentum, Judæis non veſcum, huic in præpingvibus partem adhæreat. VII. Caput defuiſſe extis? auctum, geminum, cæſum? VIII. de aliis quatuor lobis hepatis. An hi numerati ſint Hippocrati? Portæ in plurali? in ſingulari pro Vena. Origo denominationis. Quod non ſemper attendatur ratio numeri. IX. Trapeza? non eſt idem quod jothereth vel fibra. ſitus ejus. aliis partibus etiam hoc nomen tribuitur. X Machæra, Ungvis, Caniſtrum, Auriga? quod Extiſpices etiã Venas inſpexerint hepatis.

§. I. Ut verò uſus haruſpicinæ in re Anatomicâ evidentior compareat, lubet alia atqve alia in medium adducere, quæ ab Extiſpicibus fuerunt obſervata. *Neq;* enim *ſolum membra*, eorumqve conditionem, *ſed & particulas* quibus eadem conſtant, *accuratè* ſatis *perluſtrârunt*. Inprimis internorum habuerunt rationem, quod proprie dictæ Anatomes eſt, uti *Auctor Introduct. ſ. Medici apud Gal.* teſtatur: *Anatomes vocabulum, etiam exteriorum corporis partium & particularum per abuſum commemoratio uſurpat, quæ verbis uniuscujusq; ipſorum naturalem ſitum, ordinem, uſum, quem animanti præbent, propriam cuiq; illorum appellationem de quibus jam retulimus percenſet. Interiorum verò cum ſermone explicatio, proprie Anatome dicitur. Siquidem oculis eas indicatas eſſe, conſectio non*

 eſt,

est, sed cujusq; notitiam ex sermone ac verbis accepisse, & naturales actiones quomodo ipsas obeant didicisse: præterea quam invicem communionem viscera, aliæq; corporis partes per venas habeant. H. I. cum quo *conf Auctor Definitt Medicarum, & Auctor Anat. parvæ, ap. Eundem.* Insigne exemplum in hepate extat. In eo quod *Caput extorum* vocant, magnæ varietatis dicit *Plin. 11. H. N. 37.* Sed *quæ pars hoc nomine adeò celebrato fuerit insignita*, nullus, quod sciam, Auctorum dilucidè exposuit *Hoffmann in 4 de Usu Part. n. 208. 209.* videtur lobos intelligere: Ubi enim de his, quod nunquam dicantur ἄκρα extrema; quodq;, cum apud alios legitur ἧπαρ ἄλοφον, legendum ἄλοβον; subdit: *Et tamen Latini etiam capita vocant. Val. Max. l. 1. primæ hostiæ jecur sine capite est inventum: proxima, caput jecoris duplex habuit. Ut jam in utramq; aurem possint dormire illi, qui quandoq; in victimis vere duplicia hepata visa fuisse, pertendunt.* H. I. Verum hoc est obscurum per æq; obscurum demonstrare. *Lobi* enim *vox non uno accipitur modo*, quando de corpore animalis effertur. *Aliquando* integram partem visceris denotat, quæ qualicunq; interstitio ab alterâ est sejuncta. Ita apud Hippocratem, Galenum &c. Auctores Græcos, plures lobi in hepatibus, pulmonibus, promiscuè numerantur. Ubi *Aristoteles* nomine hoc abstinens, & tamen distinguens genera animalium, circuitione utitur, dicens, quod non æque in omnibus intervallum appareat. *Vid. e. g. 1. H. A. 16.* de Pulmone; & *L. 2, VI.* de jecore. *Conf.* de utroq; *3. Part. Animal. 7. Nonnunquam* hâc voce extremum membri appellatur. Testes sunt *Hesychius* λοβοὶ τὰ ἄκρα πάντα, κυρίως δὲ τῶν ὤτων τὰ κάτω, καὶ τὸ ἀγγεῖον. *Lobi extrema omnia, præcipuè aurium inferiora, & illud vas. Suidas* λοβὸς τὸ ἄκρον τοῦ ὠτίου καὶ τοῦ ἥπατος. καὶ τὰ ἄκρα πάντα. ἀλλὰ κυρίως τῶν ὤτων τὰ κάτω. *Lobus extremum auriculæ & hepatis. & extrema omnia. sed præcipue aurium inferiora.* Has duas significationes etiam suas fecit Latinorum *Fibra. Var. 4. de Ling. Lat. §. 13 ---- antiqui Fibrum dicebant extremum, unde in sageis extrema fimbriæ, & in jecore extremum Fibra.* Conf. *Sextus Pompej. Festus. & Isid. Hispal. Orig. 11, 1.* Notari autem eâdem integras etiam partes, ostendunt *Celsi* loca *l. 4, 1.* ubi pulmonem in duas fibras ungulæ bubulæ modo; & jecur in quatuor dividi dicit. Item *Poëtarum* citatorum *c. II. §. IV.*

Senec

Senecæ & Lucani. Quamvis aliis etiam pro quavis extorum parte ſit in uſu: uti *Virgilio 1. Georgic. v. 484 & Ovidio 7. Met. v. 601.* non minus ac vox lobi apud Græcos Poetas.

§. II. Sed *peculiaris Lobi ſignificatio*, quæ hujus potiſſimum eſt loci, illa eſt, quâ certum in hepate expresſit ſignum. Ita *Heſychius* in voce λοβὸς: ---- καὶ σημεῖον ἐν τῷ ἥπατι. *& ſignum in hepate. & Suidas:* καὶ ἐν θυτικῇ, σημεῖόν τι ἐν τῷ ἥπατι. *Et in extiſpicinâ, ſignum aliquod in hepate.* Uti forte *in Æſchyli l. c. C II. §. IV.* accipitur. Ita etiam apud *Arrianum de rebus geſtis Alexandri L. 7.* ὁ λοβὸς, uti legendum putat Briſſonius: ὡς δὲ ἐπὶ τοῦ ἥπατος τοῦ ἱερείου ὁ λοβὸς ἀφανὴς ἦν, *poſtquam verò in hepate victimæ ille lobus inconſpicuus erat.* ---- quod poſtea dicit ἄλοβον ἧπαρ, & ἄλοβον ſimpliciter, *de Pythagora Haruſpice.* Hanc ſignificationem Lobi, per *caput extorum aut fibrarum* Latini expoſuerunt. Capitis autem extorum ubiqve Auctores meminere, *Capitis fibrarum Lucanus l. c. C. II. §. IV.*

Ecce videt capiti fibrarum increſcere molem
Alterius capitis pars ægra & marcida pendet.

Quo ipſo manifeſtum fit, non poſſe per caput extorum in hepate intelligi vel integram partem, aut ejus extremum. Quæ pars igitur hepatis illo lobo fuit deſignata? *Briſſonius* quidem *L. 1. de formulis* ſummâ fide citatis Aa. hiſtorias congesſit, quibus jecur ſine capite fuiſſe proditur, verum quid ſibi caput hoc velit, de eo altum eſt ſilentium. *Alex. ab Alex. Genial. dier. 5, 25.* ipſum jecur caput extorum dici aſſerit. Quod tamen contra *Plinii* mentem eſſe, etiam *Andr. Tiraquellus in Annot.* innuit, & contra mentem Veterum eſſe inferius demonſtrabitur. *Rhodius in Lexico Scriboniano* allegans Livium; *Convexæ partis lobum*, inquit, *intellige. Brutis namq; viſcus hoc longè ſecus ac in homine, cui ſolidum eſt, varias in partes finditur.* Verum Delio natatore hic opus, ut in Convexâ parte lobum aſſequaris. Neq; promiſcuè omnibus brutis jecur ſecus ac homini finditur. de utroqve in ſeqq. dicendi erit locus.

§. III. *Samuel Bochartus* propius ad veritatem videtur accesſiſſe. Hic *in Hierozoici Par. I. L. 2. c. 45.* diſquirens, quæ pars tam bovini, quam ovilli & caprini jecinoris hebraicè dicatur *jothereth Exod. 29, 13. 22. Lev. 3, 4. 10. 15. 4, 9. 7, 4. 8, 16. 25. 9, 10.* ubi *Fulle-*

 rum

rum qui *Miscell. Sacr. L. 5, 14.* membranam illam tenuissimam, quâ jecur integitur, isto significari voluit, refutavit: quod DEus in sacrificiis partes victimarum opimas, h. e. optimas & pinguissimas sibi delegerit super altare suum adolendas, & in his etiam censeatur jothereth jecoris. Probat deinceps ex etymo jother (quod abundat, superest, excedit, superfluit) *jothereth in jecore esse partem aliquam quæ excedit, quomodo lobi, & appendices:* quod ex Arabicis Interpretibus confirmat, & *ex Avicen. L. 3. Fen 13. Tr. 1. c. 1.* cujus tamen l. c. hæc solum leguntur: *quod hepar superponatur ventriculo taliter, quatenus comprehendat ipsum additionibus extensis sicut digitis.* (*ex Gal. 4. de U. P.*) Sed *L. 3. Fen. 14. Tr. 1. c. 1.* illa quæ citavit, extant: Ex quo porro probat, quod maximus ille loborum hepatis, in quem vesica fellis incumbit, Arabicè zaïda vel ziada i. e augmentum vel extuberantia καὶ ἐξοχὴν, Hebraicè verò jothereth sit appellatus. *Atq; hæc,* inquit, *fuit pars jecoris, quam jussit DEus in altari suo adoleri.* In sequentibus observans, pecuinum jecur in plures lobos dividi, atqve in illis unum esse reliquis crassiorem & eminentiorem, hincqve græcos interpretes singulari numero dixisse τὸν λοβὸν τοῦ ἥπατος: Et posse lobos hepatis adoleri demonstrans concludit: *Porrò fibris etiam suam inesse pingvedinem, cujus ratione potuerint cum aliis pingvioribus in altari adoleri, vel ex Persio discere est, qui ad fibrarum adipem sic alludit Satyra tertiâ.*

Sed stupet hic vitio, & fibris increvit opimum
Pingve, &c.

§. IV. Ista itaqve *Bocharti mens* est, quod Lobus non quivis, sed maximus hepatis per jothereth indigitetur: atqve ita etiam caput extorum in hepate eundem lobum statuet, cum jothereth Sacri Codicis, nihil aliud esse videatur. Verum absq; Anatomicâ Scientiâ non est, qui ritè explicetur Extorum Caput. Scias autem oportet, *tria* potissimum fuisse *terrestrium animalium genera,* quæ communis usus destinarit victimis, boves scilicet, oves & capri. Quibus aliæ gentes alia pro diversitate rituum addiderunt. Uti suillum genus addi legimus *apud Suidam* Θύσον ἓξ θυσίαι ἐξ ἐμ ψύχων ἐθύοντο. προβάτου, ὑός, βοός, αἰγός. ὄρνιθος. χηνός. *Sex sacrificia ex animantibus fiebant, Ove, sue, bove, capra, gallina, ansere. Conf.* βοῦς ἕβδομος *Septimus bos.* Istis autem tribus maximè sacra facta apud Gentiles,

Gentiles, docent literarum monumenta. *Achilles Homericus non procul ab init. Iliad. sive hic nos ob vota non reddita incusat, sive ob* hecatomben: *Aut si forte* ovium *nidorem*, caprarumq; *integrarum Velit assequutus à nobis pestem depellere. Lucianus de Sacrific.* ---- *Tum autem constitutis aris, designatis sacrorum septis, puris vasis collocatis, victimas offerunt, bovem aratorem agricola, agnum opilio, caprum caprarius.* ---- Idem mos apud Judæos usitatissimus *ex Lev. 22, 19. 20. & Josepho Antiq. Jud. 3, 10. Philone de animalibus ad sacrificia adhibitis. Mose Maimonid. More Nebochim par. 3. c. 46.* Conf. *Eulogius apud Photium Biblioth. CCXXX. sub fin. Cur 5. solum ex mundis sacrificata, hircus, aries, bos, turtur, Columba.* Horum animantium jecinora si intentius perlustramus, dilucidè rem explicabunt. Sunt autem illius naturæ, ut non lobos, quales nostræ ætatis Anatomici volunt accuratè dictos, in totum ab aliis separatos exhibeant, sed solum inferiori parte divisos superiori connexos, quales olim appellari hoc nomine consvevere, uti ex *Hippocratis L. de Ossium naturâ*, & plerisqve omnibus Veteribus Medicis & Anatomicis est cognoscere, qui in his lobos agnoverunt, licet non ita sint sejuncti uti illi canum, Phocarum, murium, &c. sed à fine suspensorii hepatis crenâ solùm quadam distinguantur, aliquantò quam in humano profundiori. Unde non solum *Hipp. & Gal.* sed & *Herophilus* de humano hepate apud *Gal. 6. Adm. An.* λοβοὺς γὰρ τισὶ μὲν οὐδ' ἔχει, ἀλλ' ἔστιν ὅλον στρόγγυλον καὶ ἄναρθρον, τισὶ δὲ δύο &c. *Etenim in quibusdam ne fibras quidem habet, sed ex toto rotundum est, minusq; rectum: quibusdam duas, aliis plures: multis & quatuor obtinet.*

§. V Cum autem suspensorium horum animalium hepata in sinistram & dextram partem quasi dirimat, certum est, quod maximus lobus secundum naturam dextram occupet, unde & illo nomine Auctoribus venit, huicqve vesica fellis insidet. Ita etiam *Rufus Ephesius in L. de Partib. humani Corp.* de jecore: καὶ ἐπὶ τοῦ μεγίστου λοβοῦ χολῆς ἀγγεῖον. *in maximo lobo fellis vas. Pollux* de vase fellis ὃ ἔγκειται τῷ μεγίστῳ λοβῷ *quod incumbit maximo lobo. Gal. 6. Adm. An. c. 8.* θέσις γε μία τοῖς ἔχουσιν αὐτὴν (χολὴν) ζώοις ἐστὶ διὰ παντός, ἡ κατὰ τὸν μέγιστον τῶν λοβῶν τοῦ ἥπατος ἐν ἅπασι τοῖς ζώοις ἐστίν. *at situs idem ipsam* (vesicam fellis) *sortitis animalibus in maximâ fibrarum*

jecoris perpetuò est. Dextri illius, sive maximi *lobi*, *apex* quidam acclivi quasi colliculo protuberat in memoratis pecoribus, quod egregiè descriptum reliquit *Herophilus* apud *Gal. cit. 6. Adm. An. 8. Exactissime igitur de ipso* (hepate humano) *scribens qua septum transversum attingit, gibbum est, & læve --- verum in omnibus non respondet, sed latitudine, longitudine, crassitie, altitudine, fibrarum numero, inæqualitate ex anteriori parte qua crassissimum est, &* (ἀνωμαλίᾳ τῇ ἐκ τοῦ ἔμπροσθεν, καθὸ παχύτατόν ἐστι, καὶ τοῖς ἄκροις τοῖς κύκλῳ κατὰ τὴν λεπτότητα, ἀλλήλοις ἀλλοῖον.) *summitate orbiculari, qua extenuatur, invicem diversum est. Etenim in quibusdam ne fibras quidem habet &c.* ita hunc Herophili locum & *ap. Oribas. 24. Collect. 25.* est legere. *Conf. Glissonius de Hep. Anat. c. 11.* quod est de partibus quibusdam figuræ hepatis externæ. Hujc ego apicis protuberantiæ omnia convenire arbitror, quæcunqve de capite extorum apud Auctores occurrunt: Hæc orbicularis summitas erit λοβὸς lobus signum illud in hepate haruspicinæ. Et videtur λόφος rectius legi apud Auctores, non λοβες; & ἧπαρ ἄλοφον, non ἄλοβον, contra quam *Brissonius* aut *Hofmannus* sensère, modò illud membranæ fide dignæ adstruant; distinctius enim hoc modo hujus particulæ conditio exponitur. Eam sanè ob causam, puto, *Plutarchus* significantiorem formulam illam Romanorum ratus, capitis nomen retinuit *in Marcello:* καὶ τοῦ πρώτου πέσοντος ἱερείου, δείκνυσιν αὐτῷ τὸ ἧπαρ οὐκ ἔχον κεφαλὴν ὁ μάντις. ἐπιδυσομένου δὲ τὸ δεύτερον, ἥτε κεφαλὴ μέγεθος ὑπερφυὲς ἀνέχεν, καὶ τὰ ἄλλα φαιδρὰ θαυμαστῶς διεφάνη. *Et primâ cadente victimâ, ostendit ipsi hepar non habens caput Vates. mactatâ verò alterâ, caput magnitudine excellenti eminuit, & reliqua læta mirum in modum comparuère.* Atqve non solum in hepate, sed & in lobo caput *Idem* ponit *in Cimone*, ut illustriorem nostram reddamus opinionem, & perspicuum fiat, non posse intelligi integrum lobum, ubi capitis extorum mentionem injiciunt scriptores: καὶ παρῆν ὁ θύτης ἐπιδεικνύμενος αὐτῷ τὸν λοβὸν οὐκ ἔχοντα κεφαλήν. Similiter alias partes extantiores in visceribus capitis nomine insignitas, ejus rei documentum nobis reliquit *Rufus Ephesius L. de Partib. Corp. humani* e. g. *Lienis pars superior crassior. --* ὁ σπλήν. καὶ τοῦτο τὸ παχὺ καὶ ἀνωτάτω, κεφαλή. quorsum forte & λοβὸς καρδίας spectat, *in Glossariis Græco-latinis Labbæi.*

Labbai. si non & λοβοὶ τῶν σπλάγχνων; *Ibid.* Idem *Rufus L. de Vesica Renumq; morbis 1.* arguit, per lobum intelligi superiorem illam partem hepatis de dextro rene disserens: καὶ γὰρ ἐν, καὶ ἐγγυτέρω οὗτος ἐστι τοῦ ἥπατος, καὶ ψαύει τοῦ λοβοῦ ὁ δὲ ἀριστερὸς προσωτέρω καὶ κάτω. Istis congrua *Oribasius* 24. *Collect.* 27. tradit: *Dexter ren in omnibus animalibus eminet elatior. is nonnunquam magnam jecoris fibram contingit:* Ita etiam *Hippocrati l. de Anatome* ὑπερκορυφώσιας i. e. eminentias dictas fuisse lobos, paulo infra videbimus. Et *Nicandro* ἀκρότατος λοβὸς *in Theriacis v. 559.* ἢ ἀπὸ κάπρου ἥπατος ἀκρότατον κέρσας λοβόν. *Aut ex apro supremum detondens lobum.* quidam malè vertunt extremum. Simpliciter tamen capitis appellationem sibi memorata portio hepatis vendicasse videtur. Quippe cum *Appian.* 2. *de Bell. Civil.* de sacrificio Cæsaris: τῶν ἱερείων ἦν τῷ Καίσαρι, τὸ μὲν πρῶτον ἄνευ καρδίας, ἢ ὡς ἕτεροι λέγουσιν, ἡ κεφαλὴ τοῖς σπλάγχνοις ἔλειπε. *Ex Victimis Cæsari prima erat absq; corde, vel ut alii dicunt, Caput visceribus defuit.* Illud alii de capitis extorum in hepate defectu memorant.

§. VI. Atqve ista portio hepatis citra dubium Jothereth Hebræorum erit: siquidem præter *LXX Interpretes,* & *Josephus* 3. *Antiqu Judaic.* 10. illam partem voce lobi insigniter appellavit. Τὰς δὲ χαριστηρίους θυσίας ἐπιτελοῦντες, - τοὺς δὲ νεφροὺς καὶ τὸν ἐπίπλουν καὶ πάντα τὰ πιμελῆ, σὺν τῷ λοβῷ τοῦ ἥπατος, -- ἐπιφέρουσι τῷ βωμῷ. *Qvum verò pro gratiarum actione sacrificant, renes & omentum & omnem pinguedinem cum fibra jecoris -- aræ inferunt.* Eadem *paulo post* de sacrificio ejus qui per ignorantiam peccavit agens, repetit. Accedit quod *Moses* illud jothereth ita describat, ac si supra jecur esset, sive superior pars, *Exod.* 29, 13. & *in Levit:* pluries, quod alii etiam adverterunt *apud Bochartum l. c.* Verum hic Vir Doctissimus, persvasus lobum integrum voce denotari, vult vertendum esse, ad jecur, reclamantibus *Syro* & *Chaldæo*, qui partem superiorem expresserunt: insignia sunt verba *Jonathanis Exod l. c. Et quod carnosum est super jecur, id est superior pars jecoris carnosa:* Bochartus incongruè illa reddit -- *in jecoris septo* Nostram sententiam veram demonstrant etiam illa *Mosis Maimonidis ex Maase Korbanoth c. 5. apud Guilielmum Outramum de sacrificiis L.* 1, 16. de

able

ablegminibus quæ in ara cremanda erant. *Hæc sunt in bubus, caprisq; ablegmina; adeps quæ operit intestina, quâ comprehenditur adeps, Ventriculi, ambo renes, eorumq; adeps, cum adipe ilibus adhærente. Item reticulū jecoris, quocum aufert is qui victimam prosecat jecoris particulā:* H I. Egregia quoq; argumenta supped itarent *Dictionar. R Mardochai Nathan Ant. Reuchlino interprete.* It: *Buxtorff. Lex. Chald. &c.* in voce טרפש. ut & quæ ap. *Pagninū*, &c. sunt obvia, si omnia adducere liceret. Illa particula jecoris igitur necesse est ita fuerit connexa cum omento, ut simul potuerit commodè auferri, quæ ipsa est summitas orbicularis lobi maximi. Et *ratio* videtur subesse, *cur Moses hanc orbicularem summitatem lobi maximi ex hepatibus memoratorum animalium voluerit adoleri*, eadem scilicet, ob quam & renes fuerunt aris impositi, scilicet quod sebum hanc partem hepatis præ aliis sæpiusculè investiat. Siquidem in præpingvibus animalibus portio omenti non solum à ventriculi medio latere, sed & ab hujus protuberantiæ decliviori sive devexiori parte dependet. Huc forte quod *Plutarchus*, de *Syllæ* transitu in Italiam, *in vita* ejus memorat, trahendum, quod ipsi apex hepatis laureatus comparuit. --- *DEus ei omnia fausta clarissimè pronunciavit. Nam ilicò sacrificanti apud Tarentum, quo decurrerat, jecur coronæ laureæ & lemniscorum binorum ex illa dependentium habere visum est figuram.* δάφνης στεφάνου τύπον ἔχων ὁ λοβὸς ὤφθη, καὶ λημνίσκων δύο κατηρτημένων. Parqve ratio videtur operimenti duplicis ap. *Marcellinum L. 22. init. Eiq; tandem aruspicinæ peritus Apprunculus --- nuntiavit eventus, inspectu jecoris, ut ajebat, ipse prædoctus, quod operimento duplici viderat tectum.* & frustra est *Lindenbrog. Observ. in h. l.* quando de jecinoribus duplicibus vel replicatis ex *Plin. H. N. 11, 37.* & *Plin. Secundi 2. Ep. 10.* illud explicare satagit. Ita in vitulis, ovibus &c. me similiter non una vice coronatum pingvedine omenti apicem hepatis vidisse memini. Ast ne quis cavilletur, *Diemerbroeckii* experientiam meæ suffragantem addam: quippe *L. 1. Anat. c. 5.* observat Vir CL. *quod omentum anteriore parte ventriculi fundo & lieni, ac interdum etiam jecoris lobo rotundo; posteriore parte intestino colo adnascatur.* Quin *Oribasius 24. Coll: 21.* nostris observationibus addit robur: *Adnascitur id* (omentum), inquit, *etiam nonnunquam, sed raro, jecoris fibræ, aliàs alii, & cuidam costæ spuriæ: neq; huic uni perpetuò, sed ut sors tulerit. Cæterum plerumq; ab aliis omnibus libera-*

liberatur atq; sejungitur, præterquam ab his tribus, Ventriculo, liene, & colo, quibus est perpetuo connexum. H. I. quæ ex *Gal.6. Ad.An.* verbotenus exscripsit. hoc est quod *Persius Satyra 3.* dicit increvisse opimum fibris, i. e. in superiori parte ipsarum apparuisse. Eapropter, quod pingvia sebacea cederent sacrificiis, quum Lex vulgum ab illorum esu sibi temperare vellet, (uti *Josephus l. c. & Alcoranus Azoara XVI. Judæis autem ob suam malitiam omnia fecimus illicita -- & vaccarũ & ovium pingvedines, nisi costis aut carni vel ossi commistas:*) etiam jothereth sive caput extorum inter hæc fuit recensitum.

§. VII. Idem confirmant Haruspicum effata, quando in tristibus extis caput defuisse, in bonis sive lætis adfuisse cum magmento, in dubiis aut minantibus geminum comparuisse, tradiderunt. Siquidem summitas illa maximi lobi orbicularis non ita liquido conspicitur, si qua morbosum hepar, & langvore aut tabe fuerit consumtum: contra vero in rectè se habentibus & præpingvibus eminet nitidè. Quorsum spectant *Ciceronis* illa, quæ 2. *de Divinat.* habentur, quibus Democritum impugnat. *Democritus tamen non inscitè,* inquit, *nugatur uti Physicus: -- Verum is tamen habitu extorum & colore declarari censet, hoc duntaxat, pabuli genus, & earum rerum quas terra procreat, vel ubertatem, vel tenuitatem: salubritatem etiam, aut pestilentiam extis significari putat.* Respondet: -- *tum futurum id verisimile, si omnium pecudum exta eodem tempore in eundem habitum se, coloremq; converterent: sed si eâdem hora aliæ pecudis jecur nitidum atq; plenum est, aliæ horridum & exile: quid est, quod declarari possit habitu extorum & colore?* jecur nitidum & plenum; cui adfuit: horridum & exile, cui defuit caput, intelligo. eleganter quoqve Hannibalis responso ad Regem Prusiam à *Cicerone l. c.* reddito: *An tu carunculæ vitulinæ mavis, quam Imperatori veteri credere:* carunculæ nomine concinnè caput extorum in hepate indicans, quod victimæ defuisse historia innuit. Rarissimum autem est, geminum caput adesse i. e. hepata istorum animalium orbicularem summitatem in lobis dextro & sinistro utrinqve æqvè eminentem ostendere: quum ejusmodi exempla vix apud Anatomicos occurrant, & curiosis etiam oculis sæpius licet, dicta hepata lustrantibus, perrarò futura sint obvia, quod declivior & tenuior secundum naturam pars hepatis sinistra, uti optimè, laudatus *Glissonius de Hep. Anat. c. 11.* declarat. Ex his tandem conjecturâ licet assequi quid cæsum caput in sacrificiis *Ovid. 15. Metam. v. 794.*

Victima nulla litat, magnosq; instare tumultus
Fibra monet, cæsumq; caput reperitur in extis.

& apud *Liv. L. 8.* de Decio similis occurrit historia. Nimirum ubi vel vitio quodam substantia hepatis malè compacta minus cohæret, rimas exhibens, præter naturam, in his potissimum subjectis, contra quam *Malpighius de Hep. c. 2.* sentit; vel sulco quodam natura partes quas aliàs jungit, dirimit, quod est præter consvetudinem.

§. VIII. Præter caput extorum in hepate plura alia memoratu digna fuerunt ab Extispicibus observata, in quibus referendis minus erimus prolixi, ut excursio, ad quam antiquitatis studium, suppetias Anatomicam deposcens, nos invitarat, veniam tanto facilius impetret. Recenset autem *Rufus Ephes. l. c.* potissimum *Portas, Trapezam, Macharam, & Unguem in hepate inspecta, quæ quidem etiam in humano dari* scribit, *sed obscura & demonstratu difficilia, neq; eadem necessariò ita appellata ob usum aliquem in re Medica.* ἅδε ἐν ἱεροσκοπίᾳ πύλας καὶ τράπεζαν καὶ μάχαιραν καὶ ὄνυχα καλοῦσιν, ἔστι μὲν ἐν ἀνθρώπῳ, ἀσαφῆ δὲ καὶ οὐκ εὔδηλα, καὶ εἰς οὐδὲν ἰατρικὸν ἀναγκαίως ὀνομασθέντα. Hæc cum lobo simpliciter dicto, in quo caput extorum, quinqve lobos hepatis, ni fallor, *Hippocrati L. de ossium naturâ* confecerunt. Ubi ille lobum maximum dextrum, in quo fel est, quartum numerat, forte quod simæ partis lobi ipsi primos tres dederint, quintum verò sinister major. Portæ autem quid fuerunt, clarum satis: modò non venam quis per illas intelligat, quippe hæc in singulari numero Portæ nomen habuit, uti *l. c. Rufi* ostendit, cujus proximè antecedentia hæc sunt: Πύλη δὲ ἥπατος ἡ φλὲψ δι' ἧς ἡ τροφὴ εἰσέρχεται. ἅδε ἐν ἱεροσκοπίᾳ πύλας &c. *Porta vero hepatis Vena illa per quam alimentum ingreditur sed quæ in aruspicinâ Portas.* Atqve ita plurali numero hos lobulos sibi invicem oppositos, per quos tanquam fauces, Pylarum Græciæ æmulas, Vena umbilicalis transit, pleriqve vetustissimorum omnes Portarum nomine insigniverunt. *Hipp L. de Anat. Arist. 1. H. A. 17. L. 7, 8. & Polyænus L. 4. in Attalo apud Bochartum,* ὁ μάντις διεξιὼν τοὺς λοβοὺς, καὶ τὴν χολὴν, πύλας τε δὴ, καὶ τράπεζαν, καὶ ὅσα ἄλλα σημεῖα κατανοῶν. *Vates perlustrans lobos, & fel, Portas etiam, & trapezam, & omnia alia signa perpendens* H. I. *Hesychius, Nicander* &c. Latini *fissum* dixère, si *Salmasio* fides habenda *Plin. Exercit. in Solin. p. 1290.*

Exta

Exta de jecore cujus propriè fissum dicebatur, eratq́ quod Græci πύλην *vocabant.* Sed nullum citat Autorem: poteſt tamen ex *Ciceronis Libris de Divin:* illud conjici, (in quibus ſæpiſſimè fiſſi in extis occurrit mentiò) inprimis *ex L. 2. aut quomodo eſt collata inter ipſos* (obſervatio) *quæ pars inimici, quæ pars familiaris eſſet, quod fiſſum periculum, quod commodum aliquod oſtenderet? --- in ſeqq.* fiſſum familiare & vitale habet. fiſſo reſpondet *Herophili* illud *apud Gal. 6. de Adm. Anat.* de ſima parte: ἀφομοιοῦται δὲ κατὰ τοῦτο διασφαγῇ τινι, καθὸ καὶ τοῖς ἐμβρύοις ἡ ἐκ τοῦ ὀμφαλοῦ φλὲψ εἰς αὐτὸ ἐμπέφυκεν: ubi *viam quam Vena umbilicalis commeat cuipiam intervallo rupium* juxta interpretem, ſive hiatui potius *asſimilat.* hâc enim ſpecie aliquoties vidi egregiè, in vitulino præprimis, ubi velut ſpeluncam ſubiens Umbilicalis per Portas illas intro deſcendit. lobulos autem arcifinios, quaſi Venæ aggeres *Hipp. L. de Anatome* innuit: de Hepate: ὑπερκορυφώσιας ἔχον δύο, ἃς καλεῦσι πύλας, ἐν δεξιοῖς τόποις κειμένας. *Protuberantias habens duas, quas vocant portas, in dextris partibus ſitas.* rectè in dextris, quia ad dextrum lobum ſpectant, poſito quod ſuſpenſorium in duos quaſi lobos majores dirimat hepar. Ita enim ὑπερκορυφώσεις ſive eminentiæ fuerunt dictæ, Lobi inquam: quod noſtram ſententiam de Lobo ſpecialiter pro capite extorum ſumto confirmat. Quippe *Hipp. l. c. ſub init.* De Pulmone: αὐτὸς δὲ ὁ πνεύμων πέντε ὑπερκορυφώσιας ἔχων, ἃς δὴ καλέουσι λοβούς. *Quinq; protuberantias habens, quas verò vocant lobos.* Non alienum tamen erit, aliquando & Venas per Portas in plurali intelligi, uti ex corrupto *Heſychii* loco eſt videre: *Portæ, Ariſtophanes in Comœdia Telmiſſenſes à ſacrificis dicit. Ipſi enim inſpiciunt converſiones hepatis & venas. Quare & vias portas appellant, Poëta enim nequaquam Portam in ſingulari dicit, ſed in plurali. Idem in* καρδιαλγία, πύλαι καρδίας ubi per pylas cordis vaſa videtur intelligere. ſicuti *in Scholiaſte Nicandri,* quem §. *ſeq.* damus, Porta in ſingulari denotat lobos memoratos.

§. IX. Trapeza autem quæ Extiſpicibus dicta, minus eſt perſpicuum. *Bochartus Hierozo: Par I. L. 2, 45. Col. 501.* ex Hebræis Auctores adducit, qui jothereth hepatis idem quod τράπεζαν voluerunt; Trapezam verò hi putarunt cum Latinorum fibra paria facere,

atqve huic ſententiæ Vir CL. adſtipulatur. Verum *ex Nicandro in Theriacis v. 559. ſeqq.* quem allegat, illud minimè evincetur.

Ἤ ἀπὸ κάπρου
Ἥπατος ἀκρότατον κέρσας λοβὸν, ὥστε τραπέζης
Ἐκφύεται, νεύει δε χολῆς σχεδὸν ἠδὲ πυλάων.

Aut ex apro extremum (rectius ſupremum) *jecoris lobum detondens, qui ex trapeza naſcitur, & ad fel vergit, & jecoris portas.* Ad quæ verba *Scholiaſtes:* τράπεζα, καὶ πυλη, μέρη τινὰ εἰσιν ἐξημμένα τοῦ ἥπατος, ὥσπερ καὶ ὄνυξ, καὶ μάχαιρα καὶ κάνεον. *Trapeza & porta,* (in ſingulari ſecus quam ſupra citati) *ſunt partes quædam hepati adhærentes, ut & ungvis, & gladius & caniſtrum.* Ex his illud colligitur, quòd rectè cognito capite extorum in hepate, hoc excipiat trapeza, & videri illam partem quadratam planam, quæ prope fellis veſicam, aut Portas memoratas, contingit, quæ ipſa pars ſi quis diligenter vitulorum, boum, ovium, agnorum hepata intueatur eſt ipſiſſima ſiniſtra hepatis, poſt orbicularem ſummitatem declivis ad crenam, ubi veſicæ fellis confinium & portas attingit deſcendens, quadratam figuram exhibens. *Heſychius* de Trapeza hæc ſolum habet: Δόλου τράπεζα, ἐπὶ τοῦ ἥπατος σημεῖον ἐν θυτικῇ. *Doli trapeza, in hepate ſignum in extiſpicinâ. Theophilus Protoſpatharius de fabrica humani Corporis L. 2, 11.* allegatur à Bocharto, quòd jecoris quatuor lobos nominari ajat, τράπεζαν, ἑστίαν, μάχαιραν, ἡνίοχον. Cauſas autem, cur ita nominentur, ex Auctore iſto non addit Bochartus. Ego ex *Rufo Epheſio* notavi etiam in aliis partes latiores Trapezæ vel Trapezarum nomine nuncupatas. *Ita ille L. de Part. Corp. humani* Τράπεζαι δε τὰ πλατέα τῶν γομφίων. (eadem *L. 1. de Partib. C. H.* ſed in ſingulari Τράπεζα) quæ *Oribaſii* interpres 25. *Coll. 1.* reddit, *Menſæ, latæ molarium ſummitates. &c.*

§ X. ΜΆΧΑΙΡΑ quæ pars fuerit dicta difficulter ex Auctoribus elicitur. Eminentiam ſive lobulum fuiſſe certum eſt. Sed extantiorem & pendulum, qui in memoratorum animalium jecinoribus conſpicitur, in ſuperiori parte dextri lobi, ſupra fel, prope Venæ Cavæ exitum, fortè non incongruè ipsâ notatum diceres. Illum enim videre eſt in ovino potiſſimum, ſed & in vitulino, brevis pugionis latiuſculi inſtar; quod μάχαιρα vult, unde à *Suida* per σπάθην explicatur. Verùm non vacat his diutius immorari. Verbo etiam

dicam

dicam ΘΝΥΧΑ esse incisionem quandam, cujusmodi sæpius observavi, in planiori parte: *aliquando* absqve ullâ protuberantiâ notabili, in vitulino; atqve maximâ parte annexam, ut rimam magis exhiberet vel hiatum latum, quam lobulum liberum: *aliquando*, in ovino potissimum, ex adverso machæræ superioris, mediæ Venæ Portæ incumbentem, verâ effigie ungvis majoris, pollicis, particulam instar lobuli liberè pendulam adverti. Ejusmodi incisionibus loborum appellationem tributam, pulmones argumento sunt. Cæterum quod Panætii Κάνεον sive canistrum, vel Theophili ἡνίοχον aurigam attinet illis, quibus ejusmodi sunt cordi, Grammaticis relinquimus. Certum est quod præter Portas, Trapezam, Machæram, & Ungvem, plures incisiones, vel eminentiæ, lobulorum æmulæ in dictorum animalium hepatibus lusu quodam naturæ conspiciantur; aliquando in machærâ alia atqve alia hujusmodi incisa vel fissa observavi; aliquando in aliis partibus. Nobis satis est monstrasse Extispices etiam minima partium discrimina esse scrutatos, inprimis in Hepate. Præter dicta etenim & Venas hujus accuratè insp xerunt. Cui testimonium præbet *vetus Interpres Lucani in 1. Pharsal. apud Brissonium L. 1. de formul. Diversæ, ait, sunt Venæ, quas haruspices cellas dicunt, hostium, amicorum, & alia hujusmodi. Cùm ergò accipiunt jecinora, intelligunt quæ cella nec eat, quæ pars saliat. igitur dum vident de hostili parte venarum pulsus emergere, significari prælium recognoscunt.* Hanc de pulsu Vasorum hepatis Extispicum observationem experientia Anatomicorum nostræ ætatis passim confirmat, *Glissonii*, *Diemerbr. Barthol. &c.*

CAP. IV.

I. In aliis partibus itidem animadversum, quæ secundum naturam, quæ præter naturam, quæ prodigiosa: e. g. in Vesica fellis. II. Item in Corde & Pulmone. III. In sangvine totius corporis. IV. Extispices cognovisse quidpiam de Generatione animalium; item de usu partium. V. Quod non solùm pecudum, sed & aliorum animalium partes cognoverint, imò hominis. VI Summa illorum quæ Extispicina Anatomicæ contulit. quod præterea administrationes suppeditarit e. g. quomodo cor eximendum. VII. Quod rudis fuerit anatome Extispicum & suspecta. e g. an Cor defuerit? an fuerit geminum? an hepar defecerit unquam?

 §. I. Suffi-

§. I. Sufficeret exemplum hepatis demonſtrationi peritiæ qualiscunqve in Extiſpicibus, & uſûs exin in Anatomicam redundantis. Paucis tamen attingemus, quod parili modo in cæteris partibus annotârint, quæ naturâ vel ſecundâ, vel adversâ, vel monſtroſâ ſive prodigioſâ evenerint. Veſicam fellis quoqve rimati, *cum Cicerone* judice *L. 2. de Divin.* de Gallinaceo felle; *fuerint, qui vel argutisſima hæc exta eſſe dixere.* Et ex *Ariſtotele 1. H. A. 17.* Citato c. I. §. IV. patet ſacrificantes ad ejus magnitudinem reſpexisſe. Idem confirmat *Scholiaſtes in Euripid. Phœnisſ. Act. IV. apud Brisſon. Vates deniq; oves mactabant, ac ignitas acies, & naturas obſervabant, contrariumq; humorem. Fellis rupturas, inquit, inſpiciebant faciem interpretantes. Obſervant vates fella -- ſacrifici enim quando de hoſtibus volunt vaticinari habentes fel definiunt. amari enim hoſtes -- alii verò ſummam facem fel dicunt in hepate. Signum enim eſt victoriæ & cladis.* Infauſti autem erat ominis quæ decolor bilis. Unde *Seneca Trag. in Oedip. v. 358.*

Et felle nigro tabidum ſpumat jecur.

Rarum fel geminum apud *Plin. L. 11. H. N. c. 37.* & apud *Plutarch. in Arato:* λέγεται γὰρ οὐ πρὸ πολλοῦ θύοντι τῷ Ἀράτῳ, δύο χολὰς ἐν ἥπατι φανῆναι μιᾷ πιμελῇ περιεχομένας. Pingvedine obductas veſicas fellis opimi boves, &c. conſpiciendas præbent ſæpiùs: in grue præpingvedine emortuo & aliis quibusdam generibus animalium idem adverti. *Gemina* autem forte potuit & porus bilarius dilatatus affinxisſe.

§. II. Cor quoqve peculiariter ipſorum fatigavit induſtriam: ejusqve *alia* fuit facies, quando in triſtibus; uti apud *Lucan. L. 1. cit. Cor jacet.* & *Sen. in Oed. Cor marcet ægrum penitus, ac merſum latet. alia*, quando in lætis extis erat poſitum. uti apud *Plin. L. 11, 37. H. N. In Corde ſummo pingvitudo eſt quædam lætis extis.* Eadem ratio fuit Pulmonis. *Cic. 1. de Divin.* quod difficile dictu, quæ cujusqve divinationis ratio, quæ cauſa ſit: *Quid enim*, inquit, *habet haruſpex, cur Pulmo inciſus etiam in bonis extis dirimat tempus, & proferat diem. Lucanus l. c.* de illo malè affecto:

— — Pulmonis anheli
fibra latet, parvusq; ſecat vitalia limes.

& *Sen. l. c.* *— — — non animæ capax*
In parte dextra pulmo ſanguineus jacet.

Longum foret de Liene, renibus, inteſtinis &c. viſceribus ſimilia colligere, peculiarem illud ſibi depoſceret operam. Conf. *citati* C. II. §. IV. Auctores.

§. III. Præter viſcera, & in illis, vaſa aut humores, totius corporis vitalem ſuccum, purpureum illum ſanguinem ejusqve alveos ſunt proſecuti. Non ſolùm *Lucanum* & *Senecam* legentibus illud liquidò conſtabit, ſed & *Strabonis* quæ de Luſitanis refert, *L 3. Geogr.* intuentibus idem fiet palam. *Immolando ſtudentes ſunt Luſitani. Viſcera vero inſpiciunt non exſcindentes. conſulunt inſuper & in latere venas, & tangentes divinant.* Cujus rei argumenta qùoqve ex *Hippocrate* C. I. §. IV. attulimus.

§. IV. Quin & de generatione animalium potuiſſe Extiſpicinam quidpiam cognoſcere, indicio ſunt *fordicidia*, de quibus *Alex. ab Alex. 5. Gen. dier. c 25. In fordicidiis ſacris, quibus hoſtias quæ uterum ferunt, immolare præcipitur, ſi fœtus biceps, aut mancus in utero eſſet, vel interaneis exulceratis appareret, exta ejusmodi imminentium malorum nuncia eſſe creditum eſt.* quod ex *Var. 5. ling. Lat. & Feſti Pompon. L. 6.* hauſit: *Fordicidiis boves fordæ, i. e. gravidæ immolabantur*, dictæ à fœtu: quæ *Ovidii* eſt alluſio *4. Faſtorum.*

Forda, ferens bos eſt: fœcundaq; dicta ferendo:
Hinc etiam fœtus nomen habere putant.

Neq; ſolùm partium numerum vel ſtructuram Extiſpices addidicère, ſed & Uſum advertère, cum *in vivis exta conſulerent.* Ejus rei documentum C. I. §. IV. *ex Galeno* dedimus. fuiſſe autem moris, vivorum intueri exta, ex numero multis Auctoribus probabitur. *Virg. 12. Æn. v. 213.* ſeqq. *Ovid. Metam. pasſim. Juven. Sat. 6. v. 547. Conf. Sen. Trag. in Oed. v. 391. & 353. item in Thyeſte A. 4. S 1. Arnob. adv. Gent. init. L. 7. Ficinus in 5. Ennead. III Plotini. Jamblich. de Myſter. Æg. S. V. c. 10. Orig. contra Celſum &c. Porphyr. de Abſtin. &c.* Ex quibus elici poteſt ratio, ſcilicet quod Deos nidoribus ali crederent.

§. V. Præterquam autem quod pecudum, & plurimorum aliorum animantium viſcera contrectarunt Extiſpices: uti enim *ap. Juven Sat. 6. v. 547.* ſeqq. Columbarum pulmonem tractasſe leguntur; ita &

pectora pullorum rimatos, exta catelli

ex eodem addiscimus. Verùm non licet commentari in gentilium sacrificiorum diversitatem: *Sextus Empir. 3. Pyrrhon. Hypoth.* quod quæ ad sacrificia ---- pertinent, omnino inter se valde discrepent, probaturus, adducit exempla: *Serapidi*, inquit, *nemo unquam porcum immolaverit, at Herculi & Æsculapio immolatur. Ovem Isidi sacrificare nefarium, at illi quæ mater Deorum vocatur & aliis Diis mactatur --- felem Alexandriæ sacrificant Hero, & Thetidi blattam --- equo litant Neptuno --- capras Artemidi ---.* Ex quo manifestum est & pecorum & aliorum animantium varia genera Extispicinæ cessisse. Et quod mireris, nefario licet ausu, scrutatos quoq; humana viscera, monumentis historiarum traditur. Neq; enim contenta barbaries quorundam, immolasse (cujus passim meminere historiæ *Conf. Alex. ab Alex. 6. Genial. dier. 26. & Porphyr. 2. de abstinent. §. 51, 53. seqq.*) aut ex casu signa collegisse. (*Strabo L. 4. Geogr. de Gallis.* ἄνθρωπον κατεσπεισμένον παίσαντες εἰς νῶτον μαχαίρᾳ, ἐμαντεύοντο ἐκ τοῦ σφαδασμοῦ:) Sed interanea ad hæc hominum consulta crudelis quorundam voluit disciplina, frustra dictante *Plinio L. 28, 1. H. N. aspici humana exta nefas haberi.* Siquidem his extis plus tribuerunt fidei, uti *Porphyr. testatur l. c. §. 51.* φαίη γὰρ αὖτις, ὅτι πολὺ μέρος ἀναιρούμενον μαντείας τῆς διὰ σπλάγχνων, ἀπεχόμενοι τῆς τῶν ζώων ἀναιρέσεως. Οὐκοῦν ὁ τοιοῦτος ἀναιρείτω καὶ τοὺς ἀνθρώπους. Ἐπιφαίνεται γὰρ μᾶλλον, ὥς φασι, τοῖς τούτου σπλάγχνοις τὰ μέλλοντα καὶ πολλοίγε τῶν βαρβάρων διὰ ἀνθρώπους σπλαγχνεύοντες. *Diod. Sic. L. 5. (aliis 6.) c. 9.* de Celtis: --- *hominem enim immolantes feriunt ense super septum transversum, quo decidente, tum ex casu, tum ex menbrorum laceratione, tum etiam ex sanguinis fluxu, ex quadam antiqua rerum observatione, norunt futura. Strabo l. 3. Geogr. Lusitanis etiam vetus mos erat, ex intestinis hominum exta prospicere, atq; inde omina & divinationes captare.* græcè: σπλαγχνεύονται δὲ καὶ διὰ ἀνθρώπων αἰχμαλώτων, καλύπτοντες σάγοις. Εἶθ᾽ ὅταν πληγῇ ὑπὸ τὰ σπλάγχνα ὑπὸ τοῦ ἱεροσκόπου, μαντεύονται, πρῶτον ἐκ τοῦ πτώματος. *Solini Polyhistoris* illa *c. 52.* de moribus populorum Jndiæ dissonantibus huc faciunt: *Sunt*, inquit, *qui proximos parentesq; priusquam annis aut ægritudine in maciem eant, velut hostias cædunt, deinde peremtorum viscera epulas habent; quod ibi non sceleris sed pietatis loco numerant.* (ex Pomponio Mela & Hero-

Herodoto juxta *Salmas. p. 1004.* non ex Archelao & Juba, quos Solinus citat.) Inprimis Necromanticis hujusmodi extispicia fuerunt in usu. Indicio est *Gregor. Nazianz. Orat. 3. adv. Julianum* ubi de cædibus Apostatæ: οὐ μόνον τῶν ἀνατεμνομένων παίδων τε καὶ παρθένων ἐπὶ ψυχαγωγίᾳ καὶ μαντείᾳ καὶ θυσίαις οὐ νενομισμέναις. *Hesychius* quoq; Ἐντομίδες, ζυσμαὶ ὄψεως γινόμεναι, καὶ τοῖς λοιποῖς σώμασιν ἐντεμνόμεναι, τοιαῦτα δὲ εἰώθασι ποιεῖν ἐν τοῖς νεκροῖς αὐτῶν οἱ ἄπιστοι. Conf. *Niceph. H. E. 6, 10.* de Valeriano: & *L. 7, 21.* de Maxentio. & ante hos *Juvenalis l. c. Sat, 6.*

— — rimabitur — exta —
Interdum & pueri: faciet quod deferat ipse.

§. VI. Has Extispicina primas Anatomicæ duxit lineas, nomina imponens, membra recensens, particulisqve eadem distinguens, non neglecto prorsus usu; idqve non in uno, neqve in viliori solùm genere animalium, sed & in ipso, cui os sublime cœlumqve tueri est datum. Præterea est adhuc emolumentum quod administrationibus contulit. Multæ enim ipsorum ἐγχειρήσεις rem Anatomicam juvare potuerunt. Exemplum dedimus *C. I. §. IV. ex Hippocrate*, de Corde à Victimariis exemto. Sanè peculiaris ingenii opus hoc fuisse, ostendit *Gal. 2. Pl. H. & Pl.* quando neqve thoracis, neq; aliam concavitatem esse perforandam, monet, iis, qui cor denudant. & sæpius quidem *Galenus* hujus instituti mentionem injicit, sed quod sciam, modum non detegit, nisi *6. de Pl. H. & Pl.* ubi hæc ejus extant. *Cæterum cor nudatur thorace non confecto, modo cartilago mucronata fuerit excisa prope quam suspensum est cordis involucrum, quod pericardium dicitur. conf. 7. Ad. An:* ubi tamen obscurior est. Hanc ἐγχείρησιν se habuisse à Victimariis ipse tacitè fatetur *L. 2. de Pl. H. & Pl.* Atqve ex aliis Auctoribus notum est, singulari modo cor fuisse ab his exemtum, ut scilicet neqve thorax, neqve abdomen, sed pericardium unice aperiretur; quo ipso etiam contigit, ut, Corde licet evulso, voces edere, vel aufugere potuerint hostiæ. *Maimonides L. de Idololat. c. 7. § 3. -- etiam de ungulis, pelleq; ejus -- quæstum facere vetamur, quod si in pelle nota foret, & indicatum, pellem eam Idolis esse oblatam; ut fiebat, cum rotundo foramine ex adverso cordis facto, Cor per illud extrahebant, ex pelle hujusmodi inconcessum erat lucrum, ut & cæteris talibus.* H. I. *Vosfius in h. l. Tradit Maimonides in notis ad Misnajot, hunc fuisse cultum gentilium. Videntur gentiles (si Hebræos audimus, qui tamen unde illud hauserint, nescio) ad extrahendum*

*hendum cor animantis, foramen circuli, aut potius Cordis formâ fecisse; & si foramen illud per errorem in longum disruptum fuisset, illam pecudem pro inutili ad sacrificia habuisse. Habes idem in Aboda Zara. c. 2. §. 4. Raban Simeon Ben Gamaliel ait, quando incisura est orbicularis, prohibitas esse (*pelles*), ubi oblonga, licitas. Pelles eæ, quibus incisura rotunda est, vocantur ibidem pelles cordium.* H. I. Vossium sequitur *Saubertus*, sed neuter, uti ex nostris liquet, mentem est assecutus. *Maimonides l. c. de Idolol. §. 12.* illas pelles perforatas vocat. *Itidem si pellis perforata pellibus sit aliis admixta, usus omnium earum est interdictus.* Ad hunc morem respexit *Lucianus de Sacrif.* ubi inter alia sacrificus ab ipso καρδιουλκῶν appellatur. ἀνατέμνων καὶ τὰ ἔγκατα ἐξαίρων, καὶ καρδιουλκῶν. *Suid.* καρδιουλκία τὰς καρδίας ἕλκειν τῶν θυμάτων *Conf. vox* καρδιωσάμενος. & *Hesych.* καρδιουλκία. Aliam ἐγχείρησιν memorabilem C. I. §. VI. *ex Oribasio* attulimus, cujus etiam *Galenus* meminit loco infra C. V. §. III. adducendo. Hæc summa sit beneficiorum, quæ Extispicina in Anatomicam contulit.

§. VII. Fuit tamen sine dubio, *vetus* illa *Anatomica*, cùm maximè nascens *rudis*: non minùs quàm cæteræ artes, quarum *in processu*, ut *Sen: Ep. 95.* loquitur, *subtilitas crescit*; utut memoratas de partium appellationibus, structura, numero, & usu; peculiariter de habitudine, tam quæ secundum naturam, quam quæ præter eandem, aut etiam præter consvetudinem se in victimis obtulit: observationes ab Extispicinâ acceperit. Credibile enim est, multa falsa vanæ plebeculæ, aut superstitiosis animis haruspices persvasisse, multa etiam ignorantes insolita effinxisse. Sic Cor opimis victimis defuisse plura veterum monumenta, *Plin. 11. H. N. 37. Valer. Max. l. 1, 6. §. 13. &c.* tradunt, ut hinc adeò disputarint acriter qui id fieri potuerit, ut sine corde victima vitam duceret. *Vid. Sen. 2. Quæ. Nat. c. 32.* sed rectè negligentiâ haruspicum ita apparuisse innuit *Cic. 2. de Divin. Ego enim*, inquit Quinctus, *possum vel nescire, quæ vis sit cordis ad vivendum: vel suspicari, contactum aliquo morbo bovis exile, & exiguum & vietum Cor, & dissimile Cordis fuisse.* V. &c. ut nequicquam hoc infringatur effatum *Philosophi 4. G. A. 4.* asserentis, *quod nullum absq; corde extiterit animal.* Si qua etiam bina corda visa referuntur, incuriæ illud deputandum, quamvis *Plin. l. c. in Paphlagonia bina perdicibus corda* ex aliis referat. *Galenus* illum errorem detexit *7. Ad. An.* docens, quod dexter ventriculus cordis in magnis animalibus propriam circumscriptionem

ptionem habeat, nonnunquam verò etiam in minimis. *Nam gallum,* inquit, *quispiam diis sacrificans cor invenit duobus fastigiatum verticibus: deinde ratus id esse augurium, hujus interpretes disquirebat. Casu autem in me incidens, duo in uno animante corda, cùm diis sacrificaret, se invenisse dixit. Atqui duo non erant, ut arbitrabatur, sed dextri vertex circumscriptionem peculiarem habebat.* H.I Simili errore quidam testudini tria corda attribuisse legitur in *Actis Philos. Anglic. an. 68. m. jun.* quippe quod auriculas instar ventriculorum à lateribus pendulas, singulari in hoc animali cordis compage, magnitudine ipsum viscus adæquantes observaverat. *Conf. Ælian. H. A. 14, 7.* de duplici corde Elephanti ex Maurorum sententia. Et toties illis, qui nostris interfuêrunt anatomis, exhibita sunt corda Embryonum quasi gemina, cum in his humidior natura nondum adunârit plenius ventriculi dextri commissuras. Parem fidem puto mereri, sicubi Hepar defecisse traditur. Verissima enim Philosophi sententia, quod necessarium hoc viscus in nullo animali prorsus desit; mancum verò & óblæsum adesse contingit. Neqve enim illud, quod de Matthiæ Ortelii cadavere fertur, ne vestigium quidem vel hepatis, vel lienis fuisse inventum, uti habet B. d. Linden *Med. Phys. Barthol. Anat. &c.* veritati perlitat, siquidem *Malpigh. de Hep c. 8.* sat multa istius hepatis vestigia legit. Quæ autem *Schenckius* refert de planeputrido & fœtidissimo, deqve alio, cujus substantia ferè absumpta, ipsiusqve loco putrilago ac purulentia tanquam in sacco fuit inclusa; Philosophum habent consentientem.

CAP. V.

I. Quid culinaria rudiori Anatomicæ contulerit. quod coqui victimariorum munus obierint, iidemq; auctores fuerint technarum, quibus superstitiosa plebs inter sacrificandum elusa. II. Quod laniena fuerint periti. III. Eapropter ab Anatomicis sunt allegati. De diverso sues feminas castrandi modo, Galeni & Sorani loca. IV. Quod apud Judæos laniena solum natales dederit Anatomicæ. Quod hi in sacris non instituerint extispicia, contenti exterioribus notis, quas & Ægyptii observarunt. De more coronandi victimas gentilium. V. Quod Judæi viscera animalium, quæ in domesticum usum mactantur, solicitè inspiciant, ut sanum à morboso distinguant. quas partes contemplentur. de promptitudine in cædendo. de enervatione carnium.

 §. I. Ali-

§. I. Aliquid emolumenti à *Culinaria* etiam *arte* in Anatomicam redundavit, quippe cùm coqui tam poparum sive victimariorum quàm lanionum expedirent munia, ab his varias ἐγχειρήσεις addidicisse primum veteres, fit vero quam simillimum. Fuisse sacrificiorum ministerio occupatos coquos antiquissimorum, plurima arguunt. *Athenæus l. 4. Deipnosoph. 31. Non est igitur admiratione dignum, si antiqui coqui sacrificiorum etiam erant periti. Nam & sacrificiis præerant & nuptiis:* ubi plurima est legere de coquo, quem Olympias tanquam sacrificiorum peritum Alexandro M. commendarat. *Conf. Plutarch. Quæst. Conviv. 6, 10.* de Aristonis coqvo. Sanè videntur hi potissimum fallacias obtrusisse vanæ superstitioni sacrificantium, auferendo partes, quarum situm ipsi pernoscerent, quod in omen stulta plebecula vertebat, cum furtum deprehendere non valeret. Talium clandestinorum furtorum de coquis historias refert *Athen. 9. Deipnos.* Quin ut hac furandi arte excellerent ipsos studio impensè egisse *ex Euphrone c 6.* notat.

Lusisse non licet, nec illa ostendere.
Quæ vix didicisti heri periclitans. tibi
Non gobius, non hepar omnino ullum erat.

& cap. seq. ex eodem:

Cani senes Deis ferebant victimam,
Hœdum tenuem parvumq;, nulla elatio
Erat, vel ipsi carnium magistro, at hinc
Mactare rogans alteros hoedos duos.
Tunc hepar horum sæpius fessum sinens
Unam manum latens deorsum ac in laeum
Renes jaciens audacter, atq; plurimum
Faciens tumultum, non habet renes fero.
Vertêre cuncti mox deorsum lumina,
Mactatur alter inde, te cepisse cor
Vidi ipsemet simul secundi.

Et *ex Dionysio Comico:* Coqvus ad discipulum disserens.

Si quodpiam frustum latet, & hoc est tuum &c.

§. II. Fuisse quoq; *laniena* peritos patet, qvum variis animalium mactationem administrandi modis præstiterint coqvi. *Athenæus 14. Deipnos. 31.* Ubi de coquis multa: *Alius autem*, pergit, *loquitur apud Simonidem, quot modis carnes peritus concidat. Quid enim*

mali

mali mihi est obscurum? ita *l. 9,6.* introducitur coqvus de arte sua glorians, cùm à convivis exquireret jactabundus, an nossent ostendere, ubi suem jugulasset? *Sed neq; quisquam est vestrûm*, inquit, *qui ubi sit jugulatus demonstrare possit, aut quo pacto ejus venter multis rebus bonis sit repletus.* Quod arcanum neqve aperire vult nisi multum rogatus. *c. 7.* tandem, *Quod attinet*, inquit, *ad semielixum, semiassatum, ac non jugulatum suem, percussus est sus sub humerum vulnere perexiguo, idq; demonstravit. postea cùm multum sanguinis defluxisset, omnia inferiora cum ablatione vino sæpius diligenter lavi, ex pedibusq; suspendi -- multumq; jus bene conditum per os infudi.*

§. III. Hinc adeo factum præcipuè, ut coqvos aliqvando ab Anatomicis allegatos inveniamus. *Galenus in L. de nat. hum. Com. 2.* imperitiam Auctoris fragmenti, quod ille Hippocratis esse negat, redarguens: *Et quis præterea est nedum medicus, sed nec coqvus, qui nesciat, sanguinem à corde -- pulmoni per venam unã subministrari?* & *2. de Fac. Nat. 4.* in Erasistratum: *Quæ quidem si prorsus ignorat, coquo paulo est in dissectionibus peritior.* uti *L. 1, 13. (p. 375.)* in Asclepiadem: conf. *2. de Pl. H. & Pl. quæ pro Cerebro motûs voluntarii principio ex taurorũ laniena observavit.* It. quæ habet *l. de Sem. 15.* de fœminis suibus, quas refert non solum in Asia, sed etiam in gentibus supra Asiam sitis usq; ad Cappadociam castratas, ut tamen solas testium exectiones intelligat, quemadmodum *l. 2, 4.* idem explicatur. *Soranus* vero *in L. de Matrice sub fin.* habet in Galatia ipsos uteros suibus exectos. ἐν γαλατίᾳ δὲ inquit, τὰς σῦς εὐτροφωτέρας γίγνεσθαί φασι μετὰ τὴν ἐκτομὴν τῆς μήτρας. *In Galatiâ vero sues pinguiores fieri tradunt post excisionem matricis.* Atq; Eruditissimus v. d. Linden *in Med. Physiol. c. 6. art. 10. §. 58.* non verecundatur annotare, sectionem à dorso institutam: *quomodo*, inquit, *porcos eviscerant nostrates suicidæ.*

§. IV. *Apud judæos* autem potissimum ad Laniones Anatomica suos natales referet: siquidem vix ulla præter lanienam apud illos obtinuit unqvam anatome. Neq; enim uspiam legimus in sacrificiorum cultu extispicia instituisse; fortè quod ab hoc idololatratum proprio more abhorruerint. Exteriores solùm notas in victimis accuratè lustrarunt, in tantum, ut *Bochartus P. 1. L. 2, 50. Hierozo:* ex *Maimonidis L. de ingressu Sanctuarii c. 7.* qvinqvaginta *L. de Mactatione c. 10. Sect. 9.* septuaginta recenseat. Quod etiam Ægyptiis in usu fuisse *Porphyrius 4. Abst. §. 7.* tradit; ubi recensuerat varia quæ observarent in animali ma-

ctando: *μυρίαι δ' ἄλλαι παρατηρήσεις, καὶ τῆς περὶ αὐτὰ τέχνης τῶν καλουμένων μοσχοσφραγιστῶν, ἄχρι συντάξεων προάγουσι βιβλιακῶν. Infinitæ autem hujusmodi observationes de eorum etiam arte qui vitulos signant, eò tandem progressæ sunt, ut de iis libri conscribantur.* H. I. Perfectissimum enim Diis offerebant, unde & coronandi victimas mos invaluit. *Vid. Athen. 15. Deipnos. 5.* ex Aristotelis Symposio: plenum enim & perfectum esse videtur corona. *Lucian. de Sacrificio: -- primū sertis coronant pecudem, καὶ πολύγε πρότερον ἐξετάσαντες εἰ ἐντελὲς εἴη -- ubi multo ante exquisivere, an perfecta sit.* Conf. *Macrob. 3. Sat. 5.* &c. Cæterum, ut dixi, exta non consuluêrunt Hebræi, contenti ritè à Lanione in partes dissectâ victimâ. De qvo more secandi illustris locus est, quem *Wülferus* ad *Tr. Schekalim c VII. n. III.* in Annotatis ex *Maimon: MaaseKorba:* produxit, quomodo in partes holocaustum fuerit sectum.

§. V. Verùm quæ in domesticum usum mactant animalia, illorum viscera solicitius quam ulli gentilium Haruspicum *Hebræi* scrutati leguntur. Qvare magnæ artis apud illos existit mactandi ratio, utpote cum huic rei multo studio incumbant necesse sit, priusquam à Rabbinis diploma accipiant, qui digni sint lanionum ordini ut accenseantur. His autem solum illud curæ est, qvod interanea attinet, ut morbi & sanitatis notas inspiciant, insolitorum non ita ipsos tenet studium. Præcipuè ad *Pulmonum* conditiones advertunt animum, an aliquo vitio laborent, cujus insigne exemplum extat ap. *Wülferum in Theriac. Judaic. Animadv. in c. III. §. 14.* ex *R. Mardochai Japhe*; & è regione cordis facto foramine immissa manu, an quicquam adnatum, an sangvinis grumi uspiam hæreant, an aqueis pustulis pulmo sit adfectus, aut jecur, explorant, quod vel minima labes carnis usum ipsis eripiat. Et de administratione mactationis peculiares libri ab illis conscripti, uti videre est *ex Buxtorf. Synagog. judaic. c. 36.* Peculiaris eorum promptitudo in cædenda pecude, uno vel altero ictu, nempe cultro prorsum ac retro acto, quippe cum pecus terreri, & sangvinem in corde cogi autument, ut effluere nequeat, si pluribus ictibus cædes perageretur. De quibus ritibus *Moses Maimon. in Schechita c 2. & 3.* qui & *in MaaseKorbanoth c. 4.* modum exponit, *apud Guiliel. Outramum L. 1. de Sacrific. c. 16. Cultrarius quomodo agit? gulam, asperam arteriam, venasq; juguli manu prehensas mediæ pateræ admovet. Easque, earumve partem saltem maximam persecat, ut omnis in vas sanguis effluat.*

effluat. H.I. Venas item & arterias ex magno pecore curiosè à judæis eximi, ut nunc armi quoq; posteriores hujus artis beneficio edules in Italia sint redditi, observat *Buxtorf.* qui etiam vult, ex hac pecoris mactandi, vitii interni inquirendi, carnis enervandæ solertia & dexteritate oriri Judæorum Medicos.

COROLLARIUM
De argumento infanticidii ex pulmone.

I. CL. *Raygerus in Ephem. Germ. an. VI VII. Obs. 202. argumentum indubitatum* ad convincendum infanticidas, & indagandum veritatem, an infans in utero mortuus, vel demum post partum quôcunque modo strangulatus aut occisus, *ex pulmone aquæ imposito credit:* Qui *si* subsidat, non hausisse vitales auras; *sin*, elisum viventi spiritum argui.

II. Dignam hanc nostris studiis, materiem rati, præprimis cùm difficile sit id genus hominum convincere, qui ut facti conscientia lateat studio impensè omnia moliuntur. Atque, quod *Buxtorf. Synag. Jud. c. 4.* ex Talmude refert; obstetrices posse occidere infantem, ut non conspici vel animadverti queat, manum scilicet impingendo fronti sive cerebro ipsius, ubi est mollius: in parricidali hoc facinore non minus evenisse loquuntur Fasti. Eapropter in hanc rem non solùm Raygeri experimenta, de vitâ editi fœtûs, ad incudem veritatis revocavimus, sed & alia illis adjicere adlaboravimus, ut si quid solidi inesset, liquidò constaret.

III *Nolumus* autem strangulatum aut occisum hisce probari, cum contingere possit, ut quem traxit ægrè spiritum fœtus, illico exspirare fecerit imbecillitas: *nedum* ut ex proæresi interemtum eisdem demonstrari adferamus; cum errore levi tenelli corporis animula ergastulo suo exturbari queat: *vivum saltem editum fœtum an certò ex isto experimento queat cognosci, est quod disquiremus.*

II. Dubium sane movet *Cl. v.d.* Linden *Med. Phys. c. 6. §. 185.* fœtum edisserens jam tum in partu multimodis laborare, labore hoc sanguinem agitari, eundemq; agitatione fervere, fervore viam sibi in pulmonem facere, & aperire aëri, mox hauriendo. Unde priusquam exeat fœtus, pulmonem jam dilatatum, partu imprimis difficili; ut vivum exiisse, ideo quod pulmo dilatatus aquæ innatat, reddatur ambiguum, cùm intus solùm vixisse ea res indicio sit. V. Con-

V. Contrariâ quoq; ratione ejusdem argumenti robur infringitur, scilicet quod subsidens pulmo non argumentum sit mortui in utero perpetuum: siquidem *experimentum* cepi hujus in cane, cujus alios atq; alios foetus ab umbilico adhuc pendulos, postquam per horæ quadrantem respirârant, vivos dissecui, atq; exemtos cordibusq; liberatos pulmones aquæ injeci, omnesq; fundum petiisse viderunt una mecum plures.

VI Qvare licet *certum* sit, *quod mortuorum embryonum pulmones descendant aquæ impositi*, uti semper illud observarunt, qui anatomis nostris crebrò repetitis interfuêrunt; *non tamen omnes quorum pulmones descendunt, dicendum in utero fuisse mortuos:* aut sane adjectâ quadam cautione opus habet, si scilicet foetus partui fuêre vicini, tunc pulmones mersos mortuorum in utero esse tecmiria: hi enim catuli quamvis integri essent & suo modo perfecti, proximi tamen partui non fuerunt; itaq; licet rictus diducerent, morâ etiam vitæ longiusculâ, tantum tamen aeris, quò pulmones extenderentur, ob virium defectum attrahere non potuerunt, hinc neq; vocem edere norant omnino ullam.

VII. Cœtera *experimenta Cl. Raygeri* de Pulmonibus embryonum inflatis natantibus vera in variis deprehendi; sed in exprimendo aërem, cautione opus esse addidici, siquidem ruptâ exteriori tunicâ pulmones subsidunt illicò; intra hanc enim adactus per inflationem spiritus, suspensum tenet visceris pondus, quo abeunte mergitur. Neq; etiam inflari toti possunt Embryonum pulmones, propter madorem, nisi longiori morâ, & multâ accedente industriâ, ut exiccentur prius.

VIII. Sed ut veritati *effati Raygeriani* (*natare pulmones eorum qui vivi editi*) robur adderem, curavi afferri catulos quamprimum lucem aspexissent ocyus, atq; dissectorũ pulmones cordi connexos injeci aquæ, & supremâ superficie fluitasse, nec longiori ullâ morâ mersos, oculati unà mecum testes edisserent complures.

IX. *Tecmirium* itaq; erunt *submersi pulmones* fœtûs *vel* intra uterum mortui, *vel* nondum maturis viribus, utut vivi editi; *natantes* verò, *vel* in partu, *vel* post eum vitâ præditi.

X. Ut verò infanticidii rea peragatur plures circumstantiæ in consilium adhibendæ, præcipuè quod Medicum attinet, quomodo se ante partum & in partu gesserit mater; quæ enim de Proæresi inquirenda, Politicæ erunt Prudentiæ.

CAP. VI.

I. De progressu Anatomicæ, usu ejus cognito; Trojanis temporibus Chirurgis culta: Homeri ævo etiam aliis innotuit. II. Quod Ægyptii, Græcis priores, ejus sint Auctores. (1.) Quod penes illos Ars Medica cum Anatomicâ publicis auspiciis sit instituta. III. (2.) Ratio condiendi corpora jam olim in usu, ubi partes lustrarunt, juxta Aa. IV. (3.) Cùm maximè Anatomicum studium excoluerint. (4.) & divisionem partium corporis dederint primi. V. In Græcia ab Homero ad Hippocratem usq; promiscuè Philosophos & Medicos Anatomicam tentasse, ut tamen Medici id egerint magis. VI. Quamvis nec Philosophi hanc curam abjecerint, præeunte Democrito, qui Hippocrati palmam fecit dubiam. VII. Cur Democritus non perfecerit Anatomicam, sc. quod exosa adhuc esset, Abderitis inprimis.

§. I. Hæc fuit *Anatomicæ infantia*, cui, uti demonstravimus, istæ potissimùm artes, Extispicina, inquam, culinaria & laniena dederunt incunabula, videndum porrò, *quomodo* his exiguis adminiculis succrescens, *cultiori facie esse cœperit.* Scilicet ubi usus Medicæ innotuit, multos procos hæc Helena invitavit, quorum studio tandem atq; æmulatione factum, ut emancipata quasi propriam inter disciplinas duceret familiam. *Trojanis quidem temporibus, & quæ antecesserunt*, in potestate adhuc Chirurgorum, quorum tunc eædem cum Medicis partes, eadem munia, fuisse est probabile. Chirurgica enim vetustissima pars Medicinæ (*Celso præf. l. 7. & Plin. 29. H. N. 1.*), cùm telis eximendis, exsecandis, vulneribusqve contemplandis, contrectandis, esset occupata, (*attestante Homero ap. Plutarchum Lib. de Homero. Celso* item, *præf. lib. 1*) peritiam ritè dividendi partes corporis suam reddidit. *Homeri autem ævo* liberius adeundi nostram fuit potestas, cùm ipsius exemplo poëtis jam innotuerit. Ita *Galenus com. 2. in lib. de naturâ humanâ:* contra Auctorem quatuor parium venarum. *At maximæ illius venæ negotium ita omnibus apertum est, ut illos, qui ex Anatome quicquam addiscere potuerint, fallere nequeat. Imò adeò penes omnes in confesso est, ut etiam Poëtæ id cognoscant. Unde Homerus ait, & venam præcidit inde quæ dorso incumbens in collum fertur utrinq;.* Neqve mirum, cùm eisdem & Chirurgia fuerit cognita, teste *Plutarcho L. c. de Homero.*

§. II. Verùm *serius Græcis, quàm* quidem *Ægyptiis, excultam*

 Ana-

Anatomicam multa rerum ostendunt monumenta, adeò, ut meritò *Hi Auctores præ Illis veniant salutandi.* Quippe cùm non nisi *publicâ auctoritate* ex præscripto legum *apud Ægyptios mederi* antiquitùs mos esset, ideò etiam *publicâ Magistratûs curâ omnia, quæ ad hanc artem facerent*, fuerunt *constituta. Priori* fidem facit *Diod. Sic. l. 1. P. 2. c. 3. Medici ex publico victum sumunt, ægros secundum legem curant, ab antiquis Medicis comprobatisq; scriptoribus traditam. Si quis normam sacri libri secutus infirmum sanare nequiverit, omni caret crimine. Si præter ea quæ libris continentur, illum curaverit, morte punitur. Credidit enim Legislator eâ medendi curâ, quæ plurimo tempore ab optimis Medicis observata profectaq; sit, haud facile meliorem reperiri posse.* H. I. Quem morem in Ægyptiis etiam notat *Arist. 3. Pol. 15. & 16.* Hinc adeò Reges, antiquissimis temporibus, apud ipsos Medicæ rei operam dedisse leguntur. Teste *Eusebio Pamph. de Athosti. p. 14. Ed. Scal.* Χρονικῶν λόγῳ πρώτῳ: π. τῶν μετὰ τὸν κατακλυσμὸν δυναστειῶν. Πρώτη δυναστεία βασιλέων -- Α. --- Μήνης Θεινίτης --- Β. Αθωθις ὁ τούτου υἱὸς --- ἰατρικήν τε ἐξήσκησεν --. jt. *de Sesortho:* Τρίτη δυναστεία Μεμφιτῶν. --- Σέσορθος, ὃς Ἀσκλήπιος παρ' Αἰγυπτίοις ἐκλήθη διὰ τὴν ἰατρικήν. Ubi *Africanus* ex Manethone *Edit. Scalig. p. 351. b.* Τόσορθρος οὗτος Ἀσκλήπιος Αἰγυπτίοις κατὰ τὴν ἰατρικὴν νενόμισται. de Hujus Asclepiadis Præceptore Hermete, templis, auctoritate ap. *Hip.* & *Gal.* plura memoratu digna lege sis *in Historia Dynastiarum Greg. Abul-Pharajii Arabis Medici. p. 7. 8.* Posterius vero illustris locus *Plinii* confirmat, ubi Ægyptiorum Reges Anatomen ad cognoscendos morbos instituisse traduntur. Ita enim ille, ubi de raphani succo egerat *L. 19. H. N. c. 5: Tradunt & præcordiis necessarium hunc succum, quando phthisin cordi intus inhærentem, non alio potuisse depelli compertum sit, in Ægypto Regibus corpora mortuorum adscrutandos morbos, insecantibus.* H. I. Quod & *Plinius Medicus Valerianus* quibusdam dictus & *Empiricus*, observat, si non ex nostro, corruptè licet, exscripsit. Ejus verba *ex L. 4, 1. Barthius* hæc habet; *contra Phthiriasin succus ejus adhibetur, rafani* (ita & Plinius) *qui potest solus tenuitate subtili ad ima corporis liniamenta* (Barth. vult. legend. latitamenta) *cor penetrare. Ægyptii enim Reges, quibus erat studium scrutari cor-*

ri cor-

ri corpora mortuorum, & causas valetudinum occultâ fide recognoscere, in corde ipso nasci ejusmodi malum prodidêre. L. 2. advers. c. 4. Hic ubi *Barthius* notandum vult, *originem Anatomiæ à Regibus Ægyptiis oriundam, quam pauci*, inquit, *hujus seculi Medicorum noverunt;* qui Plinii tamen N. H. non meminit. Quin Anatomicos libros ipsi scripsisse leguntur. Ita *Euseb. l. c. p. 14. de Athosti* memorato, post citata: καὶ βίβλους ἀνατομικὰς συνέγραψεν. quod *ex Africano* desumsit, qui Manethonis Sacerdotis Ægyptii libros excerpens, hæc reliquit: *Ed. Scal. p. 351. a.* Αθωθις --- οὗ φέρονται βίβλοι ἀνατομικαί. ἰατρὸς γὰρ ἦν.

§. III. Pleraqve *alia* sunt *argumenta*, quibus apud Ægyptios Anatomicam primùm extulisse caput probaretur. Quandoquidem cum illis in usu fuerit antiquissimis temporibus *condire defunctorum corpora*, uti ex *Diod. Sic.* ac *Curtio c. 1. §. IV.* citatis facile est perspicere; hac occasione partium ex sectione naturam indagarunt ad superstitionem usqve. Illius rei testimonium iterum præbet *Plin. L. 11. H. N. c. 37.* de corde: *augeri id per singulos annos in homine, ad binas drachmas ponderis ad quinquagesimum annum accedere. Ab eo detrahi tantundem, & ideò non vivere hominem ultra centesimum annum defectu cordis Ægyptii existimant. Quibus mos est, cadavera asservare medicata.* H. I. Quin Chirurgiam incrementa eâdem operâ illorum accepisse *Auctor introductionis s. Medici apud Galenum* annotat, postquam præter herbarum usum, aliam quoqve medicamentorum rationem apud illos obtinuisse ex Homero probaverat; ἐκ δὲ τῆς ἐν ταῖς ταριχείαις ἀνατμήσεως τῶν νεκρῶν πολλὰ καὶ τῶν ἐν χειρουργίᾳ &c. *Porrò ex cadaverum consectione*, inquit, *quam in condiendis iis asservandisq; habere moris erat, multa etiam, quæ manu administrantur, apud primos Medicos inventa esse videntur.* Siquidem cum opus haberent quasdam partes educere, necesse fuit inspexisse, & rite secando divisisse, per quas commodè pateret exitus. *Herodotus L. 2. -- ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt -- dehinc acutissimo lapide Æthiopico circa ilia conscindunt, atq; illac omnem alvum protrahunt. Plutarch. Orat. 2. de esu carnium* ventriculi exempti meminit: Ἐπεὶ καλῶς εἶχεν ὥσπερ Αἰγύπτιοι τῶν νεκρῶν τὴν κοιλίαν ἐξελόντες, καὶ πρὸς τὸν ἥλιον ἀνασχίζοντες ἐκβάλλουσιν, ὡς αἰτίαν ἁπάντων ὧν ὁ ἄνθρωπος ἥμαρτεν. *Quod soli exposi-*

tum secuerint atq; abjecerint, uti causam omnium malorum, quæ homo patravit. Quam moralem hujus facti expositionem, prolixius exponit *Porphyrius l. 4. de abstinentia §. 10.* adjecta oratione, quam libitinarius hunc in finem habuit. Sed cùm hieroglyphica veram rerum præsupponant historiam, puta hanc fuisse, quod in causas morborum curiosè inquisiverint, ideò ipsos peculiariter ventriculum perlustrasse; abjecisse verò, quod obesset condimentis, quibus funera curabantur. Conf. *Curt. L. 10, 14.* Neqve solùm ventriculum, sed & intestina ab ipsis educta, testatur *Sextus Empiricus Pyrrhon: hypothes. L. 3.* de pietate erga mortuos. *Alii integra mortuorum corpora terrâ tegunt; at Ægyptii intestina extrahentes* (τὰ ἔντερα ἐξελόντες ταριχεύουσιν αὐτοὺς) *condiunt eos, & secum super terrâ habent.* Conf. *Diod. Sic. 1. Antiqu. P. II. c. 5. Lucianus* π. πένθους.

§. IV. Inde quoqve evenit, ut Anatomicum studium nullo in loco, quàm in Ægypto floreret magis, cùm tanto numero corpora humana ipsis obvenirent secanda. *Galenus* Anatomicam propter Alexandriam suis discipulis commendavit. *Rufus Ephesius* (locum alibi daturi sumus) Ægyptios Medicos vult extitisse Auctores, quî singillatim quæqve particulæ suis nominibus insignirentur. Quin antiquissimam partium totius corporis divisionem, quæ & omnium est optima, quâ membra insigniora recensentur caput, collum, thorax, manus & crura, ab Ægyptiis Græci videntur accepisse. *Aristot. 1. H. A. 7.* istam habet. *Rufus Ephesius L.* περὶ ὀνομασίας τῶν τοῦ ἀνθρώπου μορίων, eandem non una vice repetit. *Auctor Isagoges Anatomicæ c. 1.* μέγιστα δὲ τῶν μερῶν, εἰς ἃ διαιρεῖται τὸ σῶμα τὸ σύνολον τάδε ἐστί, γαστὴρ, θώραξ, κεφαλὴ, καὶ κῶλα. *Caterùm summæ partes in quas integrum corpus distribuitur, sunt Venter thorax, caput & artus.* Refert autem *Auctor Introduct: sive Medici, apud Gal:* Ægyptiis in usu fuisse in quatuor ista dividere totum, διαιροῦσι τοίνυν τὸ ὅλον σῶμα, οἱ μὲν Αἰγύπτιοι ἰατροὶ εἰς τέσσαρα, κεφαλὴν, χεῖρας, θώρακα, καὶ σκέλη, οἱ δὲ ἄλλοι εἰς πλείονα καταδιαιροῦντες τὰ προειρημένα τέσσαρα, εἰς ἕτερα μέρη τοῦ ὅλου οὐχ ὡς ἐκείνων μόρια. *Dividunt nunc integrum corpus Ægyptii Medici in quatuor, caput, manus, thoracem & crura. Alii verò in plura, subdividentes illa prædicta quatuor, in alia, tanquam membra totius, non tanquam in istorum particulas.*

§. V. *In Græciâ* credibile est *Homeri ætate*, & quæ hanc subsecuta

cuta sunt, seculis, Philosophos etiam numerum cultorum Anatomicæ auxisse, ad Hippocratem usqve. Fuerunt enim olim Medicorum & Philosophorum promiscua studia; de quo *Celsus*, *præf. l. 1. Primo medendi scientia, sapientiæ pars habita, ut & morborum curatio, & rerum naturæ contemplatio, sub iisdem Auctoribus nata sit; ideoq; multos ex Sapientiæ Professoribus peritos fuisse ejus, accepimus. Clarissimos verò ex his Pythagoram & Empedoclem & Democritum. Hujus autem (ut quidam crediderunt) discipulus Hippocrates Cous, primus quidem ex omnibus memoria dignis, ab studio sapientiæ disciplinam hanc separavit; vir & arte & facundia insignis.* H.I. Asclepiadum hinc familia peculiariter huic curæ incubuit, uti ex *Gal. 2. Ad. Anat:* est cognoscere. De his enim potissimùm intelligenda sunt illa, quæ de exercitiis Anatomicis domesticis tradit: *qui domi apud Parentes à pueritiâ exercebantur, uti lectione & scriptura, sic etiam cadaverum consectionibus.* Unde *Philosophus* Medicis majorem partium internarum notitiam adscribere videtur. *L. 3. H. A. 3.* ubi illorum de his sententiam retulisset: εἰσὶ δὲ, inquit, καὶ τῶν περὶ τὴν φύσιν οἱ τοιαύτην μὲν οὐκ ἐπραγματεύθησαν ἀκριβολογίαν περὶ τὰς φλέβας. *Nec desunt naturæ Interpretes, qui tametsi accuratiùs, perinde ut Medici, non tractarunt de venis &c.* & *L. de respiratione c. 3.* contra Anaxagoram & Diogenē disputans, quòd non omniū animalium sit respiratio, αἴτιον δὲ μάλιστα τοῦ μὴ λέγεσθαι περὶ αὐτῶν καλῶς, τό τε τῶν μορίων ἀπείρους εἶναι τῶν ἐντός. *Illorum errorem ex ignorantiâ partium internarum subortum* arguit. Quod & *Platoni* alicubi objecit.

§. VI. Verùm neutiquam prorsus curam Anatomicæ abjecerunt omnes Philosophi. *Gal. citato L. 2. Ad. An.* istis subdit: *tantùm enim veteres non modò Medici verùm Philosophi quoq; Anatomiæ studuerunt &c.* Sanè Philosophorum & Medicorum mutuâ æmulatione adeò efferbuerunt studia, ut ambiguum reliquerint, quibus magis Anatomicæ laus deberetur. *Democritus* quantas devoraverit molestias, ut partes haberet Anatomicæ beneficio perspectas, notùm est, cùm urbem fugiens inter cadavera sectorum à se animalium hujus amore delitescere maluerit. Unde *Aristoteles*, nullius magis quàm Democriti mentionem facit, ubi de animalium partibus agendum, ipsum Platoni propter hanc peritiam præferens *1. de G. & C. 2. Plato solùm de generatione scrutatus est, & corruptione, quomodo existant in rebus, & de generatione non omni, sed de ea, quæ est elementorum.*

Quomodo verò carnes aut ossa, aut quippiam aliud tale gignatur, nequaquam &c. *Democrito verò soli omnia fuisse curæ videntur.* Scilicet ut *Petronius* de eo loquitur, *ætatem inter experimenta consumsit.* Manifestiùs de hujus viri in rebus Anatomicis scientia nobis constaret, si scripta superessent, quorum *Diogenes Laertius in Vita ejus* meminit Physica recensens: περὶ ἀνθρώπου φύσεως, ἢ περὶ σαρκὸς --- περὶ χυμῶν --- αἰτίαι, περὶ ζώων. Quæ enim extat epistola περὶ φύσεως ἀνθρώπου, inter Hippocratis illas, non videtur ingenio insignis Anatomici convenire. Unde *Menagius in Diog. Laërt. l. c.* eam supposititiam notat: qui tamen addubitans de humoribus liber apud Hippocratem an sit Democriti, illum de sacro morbo Hujus credi à *Cæsalpino Art. Med. L. 5, 1.* nec non *ab Antonio Ponce Santa Cruz in prælectionibus Valli soletanis seu commentariis in h. l.* observat. Quæ omnia illuc tendunt, quòd Democriti, si non superior in Anatome gloria, inferior Hippocraticâ sit minimè. Quod enim de *Anatome Hippocratis* extat compendium, licet *Galenus* commentarios in ipsum ediderit, quorum *lib: 1. Ad. An. & 2. it. l. 14. de Il. P. & L. de propriis libris c. 1. & l. 1. de semine &c.* mentionem injicit, non sufficit, ut quo Anatomici nomen præ Democrito Hippocrates sustineat: Quin probabile est, ex *Celsi præfatione*, si quidquam, Anatomicam à Democrito Hippocratem edoctum. In Ægyptum enim Democritum ad Sacerdotes peregre profectum, ut horum scientias (quas inter & anatomicam probabit *Diod. Sic. 1. Antiq. P. II. c. 5.*) sibi redderet notas, ex Antisthene *Diog. Laërtius* tradit. Neqve *Celsus* solum Democritum Hippocratis præceptorem creditum tradit, sed & *Suidas in* ἱπποκράτης expressiùs eandem quorundam sententiam refert. h. m. *Hic primum discipulus Patris factus. Postea Herodici Selybriani & Gorgiæ Rhetoris & Philosophi. Illi verò quidam, Democriti Abderitæ. Ipsum enim adolescentem ad illum senem accessisse feruut. Illi verò quidam & Prodici.* H. I. Accedit, quòd nullius aliûs, ante Democritum, tantum in Anatomicam studium literarum monumentis extet. Vel dicamus Hippocratem illa, quæ Chirurgiam; Democritum ea, quæ Physicam spectat, in hac arte excoluisse magis.

§. VII. Et perfecisset Democritus Anatomicam, si non exosa & invisa Abderitis fuisset habita. Quorum odium quidem effugiebat extra pomœria degens, sed non sententiam, quâ insaniæ ab illis damnabatur. Ubi enim Hippocrates accersitus, qui malo mederetur, Demo-

Democritum *compositè super genua librum habentem vidit, ut alii ex utrâq; parte ei adjacerent; crebra autem animalium cadavera, per totum dissecta accumulata essent* (προσέρρωντο δὲ καὶ ζῶα συχνὰ ἀνατετμημένα δι' ὅλων): *Eundemq; interdum contento studio scriptioni incumbentem, interdum multum subsistentem, & apud se anxiè cogitantem, quiescentemq;: it: quòd his peractis exsurgens deambulârit, & animalium viscera attenta inspexerit* (καὶ τὰ σπλάγχνα τῶν ζώων ἐπεσκώπει) *hisq; depositis reversus mutus desederit*; Abderitæ omne illud insaniæ deputarunt. Et apparet *ex eâdem Epistolâ Hipp. ad Damagetum*, ex quâ ista attulimus, Græcos non ita vulgò anatomicorum exercitiorum aspectum sustinuisse, quippe cùm Democritus necessarium duxerit se purgare Hippocrati de animalium cædibus. Hippocrates enim quærens, quid de insania commentaretur, hoc responsi tulit: *Quidnam verò aliud, quàm quid sit, & quomodo hominibus innascatur, & quânam ratione allevetur. Hæc enim, inquit, quæ vides animantia hujus certè rei gratia seco, minimè Dei opera odio prosequens, sed bilis naturam & sedem inquirens* τάτι γὰρ ζῶα ταῦτα ὁκόσα ἔφη ὁρῇς, τέτων μέντοιγε ἀνατέμνω ἕνεκα, ὁ μισέων θεοῦ ἔργα, χολῆς δὲ διζήμενος φύσιν καὶ θέσιν. Et inferiùs de popularium ingratitudine conquerens, se tamen socio malorum Æsculapio solans, *Non vides*, inquit, *me quoq; hujus vitii participem esse, dum in insaniæ causam inquirens, animantia macto ac reseco, quam in hominibus perscrutari oportuit.* Μανίας διζήμενος αἰτίην, ζῶα κατακτείνω καὶ ἀνατέμνω, ἐχρῆν δ' ἐξ ἀνθρώπε τὴν αἰτίαν ἐρευνᾶσθαι. *Nonne vides mundum ipsum inhumanitate redundare &c.* Neqve est, quod *Menagius comm. in vit: Democr. ap. Diog. Laërt.* supposititiam hanc æstimet epistolam, idem tamen perantiquam eam, cum aliis Hippocratis de suâ ad Democritum profectione Epistolis, habet, quippe, cùm *Ælianus variarum Hist. 4, 20.* quædam ex illâ citârit. Et extat *in Luciani Dialog. Philopseude*, quo verosimile reddi posset, Democritum à civibus ob Anatomiæ studium ludibrio omnium expositum. *Democritus*, inquit, *cùm se in monumento extra portas clausisset, juvenesq; quidam eum illudere cupientes ac perterrefacere, nigrâ veste in modum cadaveris ornati, ac personis in capita affictis, circumsistentes illum circumsilirent, crebro subsilientes, hic neq; eorum commenta pertimuit, neq; eos omninò respexit, sed inter scribendum, desistite, inquit, ineptire*, παύσασθε παίζοντες.

CAP. VII.

I. Quòd Medici excusatiùs Anatomicam exercuerint; Hippocratem & Democritum se Medicis & Philosophis præbuisse Duces; quòd Socrates hâc in re Philosophorum industriam imminuerit. II. Per Aristotelem adolevit Anatomica, cujus in hac arte peritia cum illâ Galeni committitur. III. Quòd Peripatetici illo studio sint delectati, non ita Pythagoræi, Platonici, aut Stoici. IV. Vigor Anatomicæ per Erasistratum, cui etiam Galenus cogitur testimonium exhibere eruditionis. V. De Erasistrato contra Galenum, quòd fuerit Peripateticus, & ex numero Rationalium. VI. Cur Galenus Erasistrato fuerit infensus. VII. Quòd non omnes Erasistratei suum Præceptorem intellexerint, an Erasistratus arteriis denegaverit sanguinem? VIII. Erasistrati laus ex Anatomica. IX. Herophilus ab Erasistrato secundus. X. Sub hoc effloruit Anatomica, medicis potissimùm id agentibus, qui & hanc artem sibi propriam arrogârunt. XI. Anatomica, tanquam peculiaris scientia, suas scholas, suos Professores est nacta.

§. I. In Medicorum verò familiâ videtur facilius impetrasse veniam exercitium Anatomicum: scil: quòd semoti à vulgo, & inspicientibus gnaris artis, illud facerent, inprimis, qvum in Chirurgicis administrationibus similia ab illis patrari viderent, causasqve ex naturâ partium internarum tenerentur reddere, excusatiùs iidem animalium instituêrunt sectiones. Utcunqve se hæc habeant, certum est Democrito & Hippocrate potissimum Ducibus, Medicos & Philosophos Anatomicis curis studio impensè delectatos. Philosophorum quidem intentionem imminuit Socratica Doctrina, cujus incrementum, cum Anatomicæ decremento erat conjunctum, quippe defervescebat ardor Physicæ, moralis ubi disciplina tantum auctorem fuerat nacta.

§. II. Per Aristotelem autem potissimùm factum est, ut hoc studium non prorsus à Philosophis abjiceretur. Plato enim, ut vidimus, ad hanc penitiorem partium per Anatomen cognitionem minùs penetravit, Socratem magis secutus. *Aristoteles* contra Democriti vestigia premens, sectiones animalium excoluit, ut *sub ipso adolescentioris Anatomicæ os* enatum jure optimo quis asserat. Peritissimus enim in anatomicâ re, omnium, qui ante eum, Philosophorum ac Medicorum; quamvis *Galenus* nunquam non huic ejus gloriæ detrahere

trahere satagat, etiam tunc, cùm maximè extollat. Ita e.g. *§. de Il. P. Ac de cæteris quidem minus forte fuerit mirandum; de Aristotele verò facere non possumus, quin valde miremur, qui cùm ea, quæ ex Anatome apparent, non neglexit, in eorumq; utilitate sit exercitus --- invenitur tamen posteà ipse neq; his, quæ sensibus apparent, credere ---* Vilius de Aristotelis peritiâ Anatomica judicium extat *L. 7. Adm. Anat: Ac miri nihil est, si etiam in aliis multis (quod Anatomen spectat) Aristoteles erraverit, qui triplicem sinum cor habere in magnis animalibus existimat. Quod igitur in consectionibus non exercitatus circa partium inventionem errorem commiserit, neq; mirandum est, & condonare homini convenit.* Vid. seqq. Ubi illis cum accensere videtur, *qui heri aut nudius tertius Anatomicam adierunt, persvasi ea, quæ prius non viderunt, ut denuò inspicere non aggrediantur* H I. Plurima ejusmodi occurrunt in Galeno, quibus scientiam Aristotelis sub jugum mittere est conatus, modò illud nostri esset instituti, detegere cavillationes, quibus Aristotelicis ægrè facere voluit. Aliquando autem tanta vis veritatis fuit, ut etiam ab invito testimonium acciperet Philosophi in hac arte industria. Et res ipsa loquetur, paucis exceptis, quæ scilicet ad usum Chirurgicum faciunt, pleraqve rectiùs ex Aristotelis Anatome, imprimis ratione humani corporis partiumqve ejus internarum, addisci, quàm ex illa Galeni; frustra dissentiente *Averroë Comment. in 2. de P.A.* de cerebro: & *L. 3.* de septo transverso: qui Galenum prorsus Aristotele superiorem in Anatomicis existimat. Nostram sententiam confirmat *Auctor Introd: seu Medici ap: Gal:* qui tradit, *de partibus corporis seu particulis, & quæ earum nomina sint, primum ipsum docuisse & conscripsisse*: ὀνομασίαι τῶν ἐκτὸς μέρων τοῦ σώματος. Περὶ δὲ τῶν ἐκτὸς μέρων τοῦ σώματος, ἢ μορίων, καὶ τινες αἱ ὀνομασίαι αὐτῶν, πρῶτος μὲν ὁ Ἀριστοτέλης ὑπέλαβε τὸ διδάξαιτε, καὶ συγγράψαι. Et in progressu membratim comparebit, quanta ex Aristotele ritè intellecto cognitio rerum Anatomicarum comparari queat, ut etiam illorum, quorum hoc seculum inventionis gloriam sibi tribuit, non obscura indicia possint ostendi: Cùm *discursus* Philosophus instituat sæpe *tales, qui jure*, ut illa *CL.* v. der Linden *Med. Phys. c. 7. art. 1. §. 20.* mea faciam, *possint indiligentiam exprobrare nostris Anatomicis.*

§. III. Ita adolevit Anatomica Aristotelis auspiciis, atqve liberaliter ab ejus sequacibus habita, insignem sibi conciliavit speciem.

Fuerunt enim *ex Philoſophis Peripatetici maximè Anatomicæ Studioſi*, unde *Galenus* nullos magis ſibi, quàm hos conſtituit adverſarios, & *de libris propriis c. 2.* ab ipſis ſua potisſimùm ſcripta Anatomica lecta refert. *C. 1.* enarrat, quos libros Anatomicos Boëtho, conſulari viro, Ariſtotelicam Philoſophiam ſectanti dedicarat. Reliquæ ſectæ Philoſophorum, *Pythagoræi*, *Platonici*, hoc ſtudium averſati videntur, cùm vix quæpiam in illorum ſcriptis memorabilia monumenta obſerventur. *Stoici* quoqve neglexerunt Anatomicam, cujus ipſos aliquoties redarguit *Galenus*; inprimis *L. de format: fœt: Ceterùm Stoici -- aggreſſi ſunt, non ſolùm quærere, ſed etiam citra ea, quæ ex reſectione apparent, ex quibus utiq; ipſũ invenire poterant &c.* χωρὶς τῶν ἐξ ἀνατομῆς φαινομένων: quod etiam Chryſippo objicit, *2. de Pl. H. & Pl.*

§. IV. *Vigorem* autem *ſummum indepta Anatomica* Eraſiſtrati potisſimùm *operâ* ac ſtudio. Ideò *Auctor Introductionis ſ. Medici apud Galen. l. c.* Eraſiſtrati ſectatores, præprimis nominum Auctores ex Medicis refert, ubi dixerat primum Ariſtotelem de iis docuisſe & conſcripſisſe. *Temporis autem proceſſu*, pergit, *Medicis quoq; ipſis poſterioribus de iisdem tractare neceſſarium viſum eſt, ne manu allata, quamq; partem aut particulam oſtenderent; ſed ex appellatione ſufficientem earum notitiam haberent: quorum in numero id maximè fuerunt Eraſiſtrati ſectatores* (οἱ περὶ ἐρασίστρατον ἐζήλωσαν) *æmulati, ut Apollonius Memphites, & hoc prior Xenophon.* H. I. & *Galenus*, iniquus licet ſit in illum ſæpius, tamen non potuit, quin ipſum accenſeret, proximè ab Hippocrate, *iis, qui poſt Veteres Anatomicam intereà temporis neglectam, recuperarunt. 8. de Pl. H. & Pl.* Neqve ipſi ignorantiæ crimen impingere ſuſtinet *5. de U. P.* quàm negligentiæ, aut invidiæ: conf. *2. de fac: nat: 4.* Quin *lib. de opt. ſecta ad Thraſ.* peritiam anatomicam Eraſiſtrati circa valvulas cordis adverſus Aſclepiadem defendit. Et ſigillatim inferiùs hinc inde conſtabit, quanta ejus exercitatio fuerit in Anatomicis, quantus item ardor, ut nec à vivis hominibus cultro luſtrandis ſibi temperarit.

§. V. Quod ſi nullum aliud extaret monumentum in hac Arte inſignis eruditionis Eraſiſtrateæ, *Galeni ambitio* ſufficeret, quæ ex adverſarii æſtimatione ſuæ audaciæ gloriam promittens, hunc potisſimùm oppugnandum duxit. Quantùm autem mihi licet colligere *Ariſtotelem ſecutus eſt Eraſiſtratus Ducem in Anatomicis quàm Philoſophicis.*

sophicis. *Plinius* quidem *Chrysippi* illum reddit (*29 H. N. 1.*) discipulum, & Aristotelis nepotem. *Horum*, inquit, *placita Chrysippus ingenti garrulitate mutavit. Plurimumq; etiam ex Chrysippo discipulus ejus Erasistratus Aristotelis filiâ genitus.* Utriusqve veritatem dubiam reddit *Sextus Empiricus L. 1, 12. adv. Mathem:* qui Erasistratum tantum Metrodori Generi Aristotelis discipulum facit, & à nepote Philosophi, ex filiâ, Aristotele dicto, distinguit. Metrodori verò Præceptorem nominat quidem Chrysippum, verùm non Solensem illum Philosophum, sed Cnidium Medicum. *Pythias autem filia Aristotelis*, inquit Sextus, *nupsit tribus viris; primùm quidem Nicanori Stagiritæ familiari Aristotelis: secundo autem Procli, qui genus duxerat à Demarato Rege Lacedæmoniorum; tertio autem Metrodoro Medico*, Χρυσίππου μὲν τοῦ Κνιδίου μαθητῇ, Ἐρασιστράτου δὲ ὑφηγητῇ, ᾧ γίνεται παῖς Ἀριστοτέλης. *Chrysippi quidem istius Cnidii discipulo, Erasistrati autem Præceptori. Cui etiam natus est filius Aristoteles.* H. I. Ita & *Gal: lib. adv. Erasistratum* ipsum Chrysippi Cnidii laudatorem & discipulum ostendit. *Laërtius L. 7. de Chrysippo:* solùm Erasistratum multa à Chrysippo Gnidio medico se didicisse, attestatum memorat. *Galenus* autem, contra ipsorum & Erasistrateorum testimonium, negat Erasistratum Aristotelis legisse scripta, vel Peripateticis familiariter fuisse usum (*2. de Facult. Nat. 4. prolixè*) & arguit ipsum Chrysippi potiùs æmulum extitisse, ferè uti Plinius. Verùm Galenus Punicâ hìc agit fide, tunc maximè Peripateticos extollens, cùm adversarios illo nomine vult indignos: sed sorex suo indicio perit. Inter dogmata, quorum Catalogo vult declarari Erasistratum Physiologiæ Aristotelicæ expertem, profert de quibusdam partibus ab ipso dictum quod frustra sint: e. g. de Liene, Omento, arteriis quæ inseruntur in renes. *Licet aliàs ipsi cum Peripateticis conveniat, naturam alicujus gratiâ moliri omnia, nihilq; sine causa.* H. I. Verùm quid miri, si ita agit cum Erasistrato, quandoquidem & Aristoteli hoc criminis intentare ausus est. Illi similiter objicit *1. de Sem: c. 13. & 15.* quòd testes ferè frustra conditos statuerit, cui tamen tam futilis sententia ne in mentem quidem venit. vid: v. der Linden *Med. Phys. c. 7. art 3. §. 38.* Ita Erasistrato, cùm naturam statuerit nil agere frustrà, non potuit non ea mens esse, memorata ad melius esse animalis, si non ad esse simpliciter, suos conferre usus; quæ etiam Aristotelis, citra omne dubium erit: ut rectè suspectam hanc

habeat accusationem *Cl.* von der Linden *c.5. art.3. §. 34. Med. Phys:* Uti non minus illam sententiam Erasistrati, quam *Gal. L. c. 2. de facult. Nat. c.4.5.* exagitat, de bilis separatione (v. der Linden *l. c. art. 4. §. 102.* hanc suo calculo quoqve approbat); & aliam de nutritione *c. 6.* ad mentem Aristotelis magis rem explicare persvasi sumus, quàm quidem per illam tractricem fictam fit facultatem. Non minus injurius est in Erasistratum, quando illum numero rationalium exturbare annititur, quare ex parte tantum dimidia dogmaticum dictitat *Com: in 1. L. Hipp. de nat. hum:* Contra quam *Auctor Introd: s. Medic.* qui ipsum dogmaticis accenset. *Rationalis sectæ princeps & auctor Hippocrates Cous fuit, post hunc Erasistratus Chius* (Χίος) (scribendum Κεῖος, Ceus, nam ex Julide Cei Insulæ urbe oriundus fuit Erasistratus, teste *Strabone & Stephano Byzantio de urbibus & populis, voce* Ἰȣλὶς. *Suidas* quoq; *in voce Erasistratos:* conf. *Salmas. Plin. exercit.* qui nominum Cei & Coi varias flexiones & confusiones notat) Neq; probabile est Erasistrati, cujus toties dogmata citat, in recensione Principum in quâvis secta, Auctorem Introductionis fuisse immemorem. Cum hoc Auctore & *Celsus in præf.* & *Plin. l. c. 29. H. N.* facere videntur. Ipse *Gal. de optima secta c. 24.* contra Methodicos disputans ipsum rationalibus accenset.

§. VI. Causa autem, quod in Erasistratum ita invectus Galenus, hæc fuit potissimùm, quòd magnæ æstimationis apud omnes esset. Ita enim 2. *de Facult. nat.* 4. de Erasistrati sectatoribus. *Suscipiunt namq; eum tanquam Deum, omniaq ab eo dicta vera esse putant.* Et ipse fatetur *in libris propriis c. 2.* se affectibus & ambitioni multum dedisse in iis, quæ contra Erasistratum scripsit. Vid. pluribus quî in Martialem Erasistrateum calamum strinxerit. Accedebat, quod Erasistratus, cum nollet omnia Hippocratis sua facere, sed quædam mutaret, Galeno ex defensione Hippocratis laudem quærenti fuerit infensissimus habendus. Ita enim hic *8. de Pl. H. & Pl* quatuor humorum doctrinam stabiliens: *Verùm non solus Plato, sed etiam Aristoteles & Theophrastus, aliiq; Platonis & Aristotelis discipuli, qui sermonem Hippocratis de Humoribus imitati sunt: quemadmodum & veterum Medicorum probatissimi --- Erasistratus autem cum Cois contendere notus est, ut alibi ostendimus, non veri studiosus. Eoq; veritus pronunciare calidum, aut frigidum, aut humidum, aut siccum aliquem humorem:* conf. *L. de V. S. adversus Erasistratum*, ubi Erasistra-

tum

tum adversus Hippocratem inimico animo fuisse dicit. Inde etiam *L. de atra bile c. 1.* contentiosos cum aliis nuncupat Erasistrateos, ubi Rufi Ephesii, quæ de Melancholia scripsit, laudat. Et fuerunt Erasistratei non imperiti, in Anatomicis præprimis, unde de Martiali Erasistrateo *de libris propriis c. 1.* (*Cujus in Anatomicis libri duo, etiam apud plerosq; extant, qui eô tempore magnopere probati erant*) & *L. 6. de Pl. H. & Pl* peritiæ Erasistrati hâc in arte (circa valvulas vasorũ cordis) contra alios testimonium exhibet: qui locus etiam demonstrat, multum negotii dedisse Erasistrateos Galeno, ut sua placita ex Anatome probaret. *Ostendebam*, inquit, *me non negare in corde generari alium quendam sangvinem, alium animantibus usum exhibentem, sed quod nunc est propositum, eum, à quo omnia animantis membra nutriuntur, ex jecore non ex corde proficisci monstraturum polliceor, ab iis, quæ ex anatome apparent, sermonem exorsus, quod maximè pugnat cum Erasistrateis, qui nunc nos dicunt paradoxa & nova astruere.* H I.

§. VII. Ex his patet, cur Galenus nomini Erasistrati semper fuerit iniqvus. Potuit etiam contingere, ut quidam ex sequacibus ejus, minus exercitati in Anatomica, & aliarum artium rudes extiterint, de quibus Galeno solertissimo & facundissimo triumphare fuit in proclivi. Non minus quàm nunc facile est Anatomicis nostri seculi ridendos exponere illos, qui sibi nomen Peripateticorum tribuunt, cùm nec ullam disciplinam, nec minimam experientiam, vel illam coqvorum attigerint. Quales ex turba Scholasticorum prostare quàm plurimos, est in aprico positum. Sanè, uti Aristoteli, nec per somnium in mentem venêre, quæ nunc à nugacibus quibusdam, Peripateticorum nomen affectantibus, decretorum loco recitantur, ita nec Erasistrato, quæ ab istis sequacibus forte ad angustias redactis, & pertinacibus tamen in errore, fuêre tradita: unum e. gr. proferam: sanguinem arteriis quosdam ex Erasistrateis denegasse, neutiquam inficias ivero, experimentis enim hanc in rem certarunt, uti *Gal. 7. Adm. An.* prolixè recenset; Historiam referens de eo, qui securim quadruplici acie excogitavit, per quam licet nunquam præparârat, neqve expertus unquam fuerat, non veritus est polliceri arteriam sangvinis expertem se ostensurum, & *L. an sangvis in arteriis naturâ continetur sub fin: Scribunt sanè qvàm plures quosdam dissectionum modos, quibus se ostensuros profitentur, arterias esse sangvi-*

 ne

ne vacuas: sed mox eorum nullus verax est. H I. Verùm, quod Erasistrato ea mens fuerit, nullus mihi persvaserit: ipse *Galen. L.C. an sangvis in arter.* istis, quæ subdit, videtur velle, Erasistratum neutiquam adeò fuisse absurdum, ac quidem ejus fuere sequaces. *Et Erasistratus*, inqvit, *nonnulla, longè etiam his majora protulit: sed impudenter in his mentitus deprehenditur, quæ ex dissectionibus suggeruntur. Non erat tamen usq; adeò Erasistratus impudens, ut ea scribere auderet, quæ nunquam possent videri.* Imò distingvens, quæ contra Erasistratum & quæ contra ejus sectarios scripsit, e. gr. de V S. innuere videtur, non omnia Erasistrateorum & Erasistrato adscribenda. *Conf. de libris propriis c. 8. quod ad Erasistratum spectet, & ille an sangvis* &c. eo ipso subindicans adversus Erasistrateos præcipuè esse scriptum. Locus illustris est *L. de V. S. adversus Erasistratum* probans, quòd Erasistrateos ipsum Erasistratum non intelligentes potissimum petat: *Vid:* Qvin *8. Pl. H. & Pl.* Catalogum errorum Erasistrati recensens, hujus non meminit: & *L. an sangvis* &c. magis Erasistrateos, quam ipsum Erasistratum vellicat. Sane nullus veterum, qui Galenum antecesserunt ætate, Erasistrato istud objecisse legitur: Sed cum ipso locuti magis inveniuntur plurimi, ut sangvinem secundum peculiare significatum venis tribuerent, spiritum autem arteriis. Ipse *Hippocrates* hac in re Erasistrato præivisse videtur e.gr. *L. de alimento*, postquam dixerat, quod ῥίζωσις φλεβῶν, ἧπαρ, ῥίζωσις ἀρτηριῶν καρδίη. Ἐκ τούτων ἀποπλανᾶται ἐς πάντα αἷμα καὶ πνεῦμα: *Ex venis & arteriis sangvinem & spiritum per universum corpus diffundi* dicit: Cùm enim venis alibi spiritum inesse negat, arteriis illum necesse est concedat; & *L. de corde sub fin.* ὅτι γὰρ οὐ τρέφεται βλεπομένῳ αἵματι ἡ μεγάλη ἀρτηρίη δῆλον ὧδε ἀποσφαγέντος τοῦ ζώου σχισθείσης τῆς ἀριστερᾶς κοιλίης ἐρημίη φαίνεται πᾶσα πλὴν ἰχῶρός τινος. &c. ubi cùm neget sangvine, qvi in oculos incurrit, arteriam magnam ali, signo ex illo desumto, qvod *in mortui animalis cordis sinistro ventriculo nihil sangvinis, sed ichoris solùm qvidpiam compareat*; nescio, quid æq; manifestum sit, qvàm qvòd Hippocrates sangvinem arteriis denegaverit. Testatur idem *Rufus Ephesius singulari L. de partib. corp. humani* τὰ μὲν κατὰ πάντας εἰπεῖν τὰ λεπτὰ τῷ χιτῶνι ἀγγεῖα καὶ ἔναιμα φλέβες καλοῦνται -- τὰς γὰρ ἀρτηρίας τὸ ἀρχαιότατον φλέβας ὠνόμαζον -- ἔλεγον δὲ καὶ ἀορτὰς καὶ

πνευμα-

πνευματικὰ ἀγγεῖα καὶ στήραγγας, καὶ κενώματα καὶ νεῦρα. refert *sanguinea vasa tenuis tunicæ & sangvinis plena dicta venas.--Arterias verò antiqvis etiam venas dictas, sed & aortas & spirituosa vasa & fistulas, & inania & nervos.* Secuti verò præter Erasistratum & alii Hippocratem, qvi etiam addita qvâdam emollitione sensum Senis & Erasistrati indigitârunt, scil. quod qvando dicatur arteriis inesse spiritus, illud secundum excellentiam; aut qvando negatur inesse, secundum quid sit intelligendum. Ita enim *Rufus Ephesius l. 2.* Φλέβες μὲν οὖν εἰσὶν ἀγγεῖα περιεκτικὰ αἵματος δι' ὧν τὸ αἷμα, εἰς πάντας τοὺς τοῦ σώματος τόπους παραπέμπεται; ἀρτηρίαι δέ εἰσιν ἀγγεῖα περιεκτικὰ πνεύματος καὶ ποσῶς αἵματος ἐν οἷς ὁ σφυγμὸς γίγνεται καὶ τὸ ἀπὸ καρδίας ἐκθλιβόμενον πνεῦμα δι' αὐτῶν εἰς ὅλον τὸν ὄγκον ἀναδίδοται. *Venas simpliciter* dicit *vasa sangvinis. Arterias verò vasa spiritus & tantilli sangvinis: & quod uti illis sangvis ita his spiritus in totum corpus feratur.* Ita etiam *Anonymus in Isagoge Anatomica c. 19.* Τὸ γὰρ πᾶν αἷμά ἐστιν ἐν ταῖς φλεψὶν πλὴν ὀλίγου ἐν ταῖς ἀρτηρίαις; *omnis enim sangvis est in venis, pauco excepto, qui in arteriis, & c. 40.* de arteriis: εἰσὶ δὲ τοῦ αἵματος χάριν, καὶ τοῦ πνεύματος ζωτικοῦ -- ὅτι πᾶν τὸ σῶμα δεῖται αἵματος πνευματώδους. *quod quidem sit & sangvinis, sed magis spirituum vitalium ergo, cùm totùm corpus sangvine spirituoso indigeat.* v. seqq. *Auctor definit: apud Galenum, sangvis calidus & humidus in venis multus, in arteriis paucior, unde animal alitur*, uti habet Ed. Veneta incerto interprete, quæ Græca non exstant. *Paulò post:* Φλὲψ ἐστὶν ἀγγεῖον αἵματος καὶ τοῦ συγκεκραμένου τῷ αἵματι φυσικοῦ πνεύματος, νευρώδης, -- ἀρτηρία ἐστὶν ἀγγεῖον αἵματος, ἐλάττονος καὶ καθαρωτέρου καὶ συγκεκραμένου φυσικοῦ πνεύματος πλείονος καὶ λεπτομερεστέρου &c. *Vena est vas sangvinis commixto spiritu naturali;--arteria est pars sangvinis paucioris & purioris commixto spiritu naturali copiosiori & subtiliori* &c. Ita etiam *A. Gellius 18. N. A. 10. Vena est conceptaculũ sangvinis -- misti confusiq; cum spiritu naturali, in quo plus sangvinis est minus spiritûs. Arteria est conceptaculum spiritûs naturalis misti confusiq; cum sangvine, in quo plus spiritûs est, minus sangvinis.* H. I. Accedit, quod propterea pluribus veterum dexter ventriculus cordis sangvineus, sinister verò spirituosus fuerit dictus: qvâ de re loca *ex Polluce, Rufo, Ephesio,*

Ephesio, *Oribasio apud Cl.* von der Linden/ *Med. Phys. 6. art. 13. §. 80.* extant, quæ admodum nostram sententiam illustrant: ex his unum *Pollucis L. 2. 4.* Latinè dabo -- *Cor: sinus habens cum sangvinis, tum spiritûs, quorum hunc emittit per arteriam, illum remittit per venam*, V. &c. Illis autem addi potest præter *Theophilum* citatum itidem à *Cl.* von der Linden/ *Auctor Isag. Anatomicæ c. 39.* qvando cor cavum dicit πρὸς τὴν ὑποδοχὴν τοῦ αἵματος καὶ πνευμάτων *ut sangvinem contineat & spiritus.* It. *Auctor definit. apud Galenum: Cor -- ex qvo venæ & arteriæ ortum suum habent, per qvas fertur spiritus & sangvis.* Ipse *Galenus* ab Adrastea coactus non potuit sibi temperare, qvin simili modo loqvendi uteretur, & spiritum arteriis vindicaret. Ita *6. de Pl. H. & Pl.* ubi contra Erasistratum disputans, qvòd sangvis non in corde perficiatur, cùm in hepate solùm præparetur: *ostendite igitur nobis*, inquit, *aliud vas, qvod ex corde hunc exornatum sangvinem educat & distribuat per omnia corpora, qvemadmodum arteria spiritum. Atqui universa qvatuor sunt ora: duo in utroq; ventriculo: unum ex pulmone spiritum introducens & alterum educens. Ambo hæc in sinistro ventriculo consistunt.* V. seqq. Malè igitur cum Erasistrato disputat *Galenus* quoties ipsi talem affingit mentem, ac si sangvinem omnem arteriis denegasset, eo qvod spiritum ipsis assignavit Unde nec *Cl.* von der Linden/ *l. c. c. 6. art. 13. §. 80. & c. 16 §. 159.* sustinet tantum virum tantæ damnare absurditatis. Qvodsi insuper ex *Gal. 6. de U. P. &c. & Plutarch. 5 de pl. phil. c. 29. 6. conviv. quæst. 2.* luberet investigare sententiam de febre & cæteris morbis Erasistrati, liquidò demonstraremus, ipsum per sangvinem, si unquam arteriis exesse jussit, intellexisse impuriorem & intemperati caloris humorem. Sed manum de tabula! Revera sangvinem, qui arteriis s. n. inest, ritè spiritûs nomen mereri, ostendit unica, sed egregia *CL. Tulpii* observatio *L. 1. observ. Med. 48.* ut alia historiarum monumenta non adducam.

§. VIII. Cæterùm ut finiam de Erasistrato sermonem, illud addam, quod magnus semper ab omnibus fuit habitus. *Plutarchus* quanti illum faciat, ex eo apparet, quod *in L. de curiositate*, proximè ab Æsculapio ponat. *Age*, inquit, *si Herophilus vel Erasistratus vel Æsculapius ipse exquireret &c* Et fama notissimum reddidit deprehensus ab ipso amor Antiochi in Stratonicen novercam, de quo *Plutarchus in Demetrio*: & *Lucianus in Dial. de Dea Syria. Appianus*

L. de

L. de bello Syriac, Suid. in voce Ἐρασίστρατος. *Plin. 29. H. N. 1. Macrobius 7. Saturn. 15.* eum Medicorum veterum nobilissimum appellat. Ipse *Galenus* cogitur sæpius testimonium ipsi perhibere, non solum de peritia in re Medica, sed magis in Anatomica: *istius* insigne extat exemplum *L. de opt. secta c. 28.* ubi contra Methodicos disputans, Hippocratem & Erasistratum adducit. *Quapropter*, inquit, *cùm duo Veteres Medici inter se de principatu certantes, hac in opinione consentiant &c.* Hippocratem & Erasistratum dicit inter se de principatu certare; Hippocrate autem major Galeno nullus est. Et *L. de consuetud.* Hippocrati itidem Erasistrati adjungens auctoritatem; *Hæc quidem de vi consuetudinis Medicorum celeberrimi* (ἐνδοξότατοι) *Hippocrates & Erasistratus protulerunt. L. de V. S. adv. Erasist. Erasistratum, qui quorundam judicio Hippocrati par esse videtur. At Hippocrates ille Medicus te, ô Erasistrate nulla ex parte inferior. Hujus* verò documenta passim occurrunt: e. g. *L. an sanguis in arteriis*, ubi Vasa lactea ab Erasistrato observata refert, confutat sectatores, quòd rectè ab ipso dicta in Anatomicis non intelligant. Vid. *conf. L. 8. de Pl. H. & Pl. sub init: Plin. H. N. L. 20, 9, & L. 29, 1.* Scholæ Erasistrati meminit: si non pro sectâ vox posita. Tanta sanè celebritas Erasistratei fuit nominis, ut olim etiam Christianis innotuerit. Unde *Tertull. in Apologet: c. 3. Quid novi, si aliqua disciplina de magistro cognomentum sectatoribus suis inducit? Nonne Philosophi -- æquè Medici ab Erasistrato, & Grammatici ab Aristarcho &c.* Conf. *L. de Anima c. 15.* Ubi Andreæ & Asclepiadi Hujus inter alios Medicos auctoritatem opponit. *c. 25.* de instrumento ἐμβρυορέκτῃ ipsi etiam in usu fuisse annotat.

§. IX. Post Erasistratum Herophilus exstitit. Quem propterea *Plinius 26. H. N. 2.* ordine recensens Medicorum principes, ipsi postponit. conf. *L. 29, 5.* Idem *L. 14, 7. DL.* ab U. C. anno Erasistratum vixisse annotavit; de vinis transmarinis. *His addidit Lesbium Erasistrati maximi Medici auctoritas, circiter CCCCCL. anno urbis Romæ.* Hinc & *Gal: in L. Hipp. de nat. hum. com. II.* Erasistratum Priscis, Herophilum Recentioribus annumerat. Asclepiade prior dicitur Herophilus *Plinio H. N. 26, 3.* Asclepiades verò ætate Magni Pompeji floruit. Magnâ autem aliàs polluisse in rebus Medicis auctoritate Herophilum idem *Plinius 29, 1.* docet, *quod scholas Erasistrati* &c. *omnes damnavit, scilicet in Musicos pedes venarum pulsu discreto, conf. 26, 2. & L. 11, 37. sub fin.* ubi propter nimiam hanc subtilitatem desertus tra-

ditur. Major autem in ipſum ex Anatomicâ peritiâ redundavit gloria. *Galenus* huic ſoli eam vendicat, quam nos cum Eraſiſtrato communem volumus: ita enim L.c. *comm. 2. in L. de nat. hum. Et equidem antiquorum judicia, atq; etiam conſenſum Aa. minimè fugerim, dum illi qui ſcripſere fuerint in re de quâ ſcripſerunt conſummati, quemadmodum in diſſectionis diſciplinâ Evdemus & Herophilus.* & paulò poſt: ubi de priſcis, inter quos & Eraſiſtratum poſuerat. *Et quid de Recentioribus dicam, à quibus Anatomica diſciplina plurimum adaucta eſt: in quibus Herophilus & Evdemus fuêre, quos nullus ad tempora usq; Marini & Numeſiani ſubſeqvutus eſt, qui illorum Methodo aliquod inventum addiderit, ut neq; Heraclianus cum quo Alexandriæ magnâ attentione verſatus ſum.* H. I. Neminem quoq; frequentiùs citat in Anatomicis libris, utpotè cujus verba adducat ſæpiſſimè. *Tertullianus* itidem *l. c. de anima c. 15.* Hujus meminit non minus quàm Eraſiſtrati, peculiariter autem ejus ſecandi ſtudium unicum notat *c. 10.* quem locum infra daturi ſumus, ubi lanium; & *c. 15.* ubi majorum proſectorem eum appellat.

§. X. Utut hæc ſe habeant, certum eſt *florem induiſſe Anatomicam Eraſiſtrati, explicasſe Herophili potiſſimum ævo*; Medicis ferè in id enitentibus. Ex his enim fuerunt, qui ſe totos rei Anatomicæ per omnem vitam manciparunt, uti *Gal. 7. Adm. Anat.* de Marino; *qui totam ſuam vitam huic ſpeculationi dedicarunt, quemadmodũ Marinus.* Cujus etiam in Anatomicâ excellentiam indicant lineamenta librorum, quæ *ap. Gal. L. de libris propriis c. 3.* adhuc deprehendimus, cum Hic Marini Epitomatorem egerit. Inde adeò factum quoq;, ut Medicina ſibi propriam Anatomicam arrogaret: cui fidem facit *Macrobius, 7. Saturnal. 15.* Ubi Diſarius: *iſti plauſus ſunt, qui provocant Philoſophiam ad vindicandos ſibi de aliena arte tractatus, unde ſæpè occurrit in maniſeſtos errores. Ut Plato veſter dum nec Anatomicâ, quæ Medicinæ propria eſt, abſtinet, riſum de ſe poſteris tradidit. Dixit enim, diviſas eſſe vias divorandis cibatui & potui.* H. I.

§ XI. Exin porro peculiaris ſcientiæ in modum tradi cœpit, uti illa *Rufi Epheſii L. 2. de part. corp. hum.* ſunt argumento, ubi dicit, quod ſicut Medica, ita & Anatomica theoremata ſint demonſtranda: *παιδευτέον οὖν καθάπερ τὰ ἄλλα τὰ κατὰ τὴν ἰατρικήν, οὕτω δὲ καὶ τὰ κατὰ ἀνατομὴν θεωρήματα.* quorum Anatomicorum theorematum mentio etiam fit *ap. Gal. de libris propriis c. 2.* Hincqve proprias Scholas, proprios etiam Profeſſores, ex publicis Anatomica eſt nacta. *Antiquisſimis*

quisſimis enim temporibus domi apud parentes, uti habet *Gal. 2. Ad. An. I. à pueritiâ exercebantur, uti lectione & ſcripturâ, ſic etiam cadaverum conſectionibus. Poſteaquam verò temporis progreſſu, non liberis modo, ſed & alienis artem communicare honeſtum eſſe cenſuerunt, quàm primum ſanè factum eſt, ut non amplius in conſectionibus corporum pueri exercerentur. Nam abſolutis jam viris, quos virtutis nomine venerabantur, artem impartiebant.* Tunc puto, *ubi Ars Medica Aſclepiadum familia excidiſſet, dein multis ſucceſſionibus in deterius vergeret*, in publicis ſcholis à Profeſſoribus rem Anatomicam expoſitam. Ita *Ad. An. 1. Gal.* Scholam Alexandrinam ejusq; Profeſſores commendabat. *Et 3. de Comp. Med. per genera* palam à Præceptoribus oculis diſcipulorum expoſitas partes tradit. *Oribaſius de diſſect. muſcul. c. 28.* laudat optimos ſecandi Profeſſores. Quin ipſe *Galenus* Profeſſorem egiſſe videri poteſt, *de libris propriis c. 1.* referens, quando docere publicè & demonſtrare deſierit. Et veriſimile ſit, conſvetudinem voluiſſe, ut à quovis ſpecimen Scientiæ Anatomicæ exhiberetur publicè. Unde *c. 2.* memorat, libros de pulmonis & thoracis motu in gratiam condiſcipuli ſcriptos, qui ſecundum illos Anatomicam facere quandam demonſtrationem, paulò poſt in patriam abiturus cupiebat. Præterea ut fidem ſuis facerent placitis, inſtituerunt demonſtrationes: ad quas etiam *Gal.* provocat *8. Ad. An. quin etiam*, inquit, *publicè oſtendi conſpexiſtis, thorace in conſectionem propoſito diebus multis inſecutis, neceſſe mihi fuit & explicare ſimul & indicare ipſius ſtructuram. Et de propriis libris c. 2.* enarrat, quod amici ipſum ſint adhortati, ut in aliquo magno auditorio veritatem ſuorum in Anatomicis theorematibus ſcriptorum, publicè afferret contra malevolos. Ex quibus etiam liquet, uti certo tempore aliquem quotidie palam ad publicas quæſtiones Medicas reſponſa dare, (Cujus *Gal. in L. adv. Eraſiſtrateos qui Romæ de V. S.* meminit) non minus Anatomicas demonſtrationes exhibere, tunc temporis uſu fuiſſe receptum.

COROLLARIUM.

De ſexûs ex ſitu in utero differentiâ.

I. ANtiquisſimis jam tum temporibus creditum, mares dextris, ſiniſtris uteri partibus foveri femellas: Cùm *Galenus in 6. Epid. Com. II. t. 44.* teſtes Auctores vetuſtisſimos, Parmènidem & Empedoclem, ætate Hippocratis ſuperiores adducat.

II. *Parmenidis* verba perſpicua: *In dextris pueri manent, in ſiniſtrisq; puellæ: Empedoclis* verò obſcuriora, quàm ut ex illis hoc manifeſtum reddi queat. & videtur hic aliam potius foviſſe opinionem, de qua *Philoſophum 4. G. A. 1. & Philopon. in h. l.* conſules. Non multum autem à Parmenidis ſententia *Anaxagoram* Empedocle vetuſtiorem abiiſſe ex *Ariſt. & Philop. l. c.* e-

licere esset facilius. Atqve pervolgata hæc sententia fecit, ut à *Lactant. de Opif. D. c. 12.* pars uteri dextra, masculina; sinistra feminina diceretur.

III. *Hippocrati* verò, quamvis alia loca svaderent, omnimodæ veritatis fuisse hoc dogma, in *Aphorismorum* tamen 5, 48. castigatius loquenti saltem utplurimum ita evenire decernitur.

IV. Quâ sub cautionis formulâ *Galenus* Coum defendit *in 6. Epid. Com. II. t. 44. & t. 45. & Com. IV. t. 27. 14. de Usu Part.* illud μᾶλλον Hippocratis per σπανίως exponens: *quod in dextra matrice femineus fœtus rarò contineri inveniatur, in libris de Anatome Hippocratis copiosè dictum à nobis fuit.* H. I.

V. Et conatur quidem probare illud assertum Pergamenus tàm rationibus quàm experientia *Comm. in Epid. & Aphor. l. c.* Verùm *rationes* quod attinet, illarum *alia* præsumunt quæ probanda erant prius; *alia* non illud inferunt, quod presse inferre debebant, uti in conflictu B. C. D. demonstraturi sumus. *Experientiâ* autem (ad cujus magis quàm ad rationum forum censente ita & *Galeno l. c.* hæc pertinet controversia) anatomicâ judice non minus cadet causâ. Siquidem afferri possunt documenta tôt, ut numero si non superior, inferior tamen sit minimè ista sententia, quæ æq; mares femellasve sinistris dextrisve geri arbitratur.

VI. Quod sanè perspiciens acutissimus Philosophorum, argumentorum experimentorumqve accuratione nulli secundus, *Aristoteles* redditurus causas differentiæ sexûs in *G. A.* missas facit illas quæ ex situ in utero quibusdam expetitæ, & horum inductionem minimè suo probat calculo; *Cit. l. G. A. 4.* edisserens quod æqve contingat mares femellasve hâc illâve gestari parte. Id quod etiam demonstrationi ibi allatæ est consentaneum. Conferatur *7. Hist. Animal. 3.* de Motu in dextro & sinistro: quantâ circumspectione in hoc negotio utatur Philosophus; ut ne temeritatis notam in asserendo incurrat, aliquid certi affirmari posse negans.

VII. Quibus longâ serie attexere esset catalogum observationum proximis à nostra ætate seculis congestarum. *Hofmann. in 14. de U. P. n. 976.* Illustiora sunt quæ *Brasavolus*, licet Hippocrati & Galeno adstipuletur, *in 5. Aph. 48.* &c.

VIII. Et cùm hominum rarior sectio inductioni ægrè concedat locum, in oppido multis fœtarum aliarum insectionibus subinde in sinistro mares, & in dextro femellas, etiam cùm gemelli adessent; quandoqve in utrôqve sinu ejusdem sexûs sive masculini sive feminini, idqve in ovium, caprarum, vaccarum potissimum uteris studiosis ostendi. In cane aliquando tergeminos mares in sinistro, geminas femellas in dextro cornu demonstravi, nullo discrimine imperfectionis perfectionisve in ipsis corporibus extante. In suis dextro cornu 1. & 3. femellæ, medius fœtus mas: in sinistro 1. & 4. mares, inter mediis femellis, &c.

IX. Non tamen diffitemur aliis vicibus masculos dextro, femellas sinistro sinu exhibitos, sed quod non sæpius illud usu venerit, hâc ratione naturam certis limitibus circumscribi posse negamus.

CAP. VIII.

I. Decrementum Anatomicæ tempore sequenti: II. Empiricis spreta: III. Ex libris solùm Anatomici: IV. Ipsi Professores detrectârunt manus cruentare: V. Quod illis cum Empiricis fuit commune: VI. Galenum olim non admovisse manus. VII. Quantum Huic res Anatomica debeat.

§. I. Hoc fuit tempus, quo Anatomica viguit maximè: sed ut Poëta canit, *summis negatum stare diu*; ita & *Anatomicam suâ mole ferè obrui contigit*. Quippe cum ambitio ab utilibus animos deflecteret, ut qui curiosis magis incumberent, quo vel aliquâ inveniendi gloriâ, vel scribendi ingeniô, solertiâve disputandi evaderent illustres, ab aliis vilis haberi, ab aliis negligi cœpit. *Galenus* sanè nusquam non suæ ætatis *Anatomicos* propterea *taxat*, *quòd utilibus neglectis, subtilitatibus* inanibus *darent operam*. *Usus* autem alius *in Medicâ*, quòd in Chirurgicis operationibus multum intersit novisse partium, inprimis externarum conformationem, magnitudinem, numerum & situm: Alius *in Philosophiâ*, quòd actiones animalium ritè percipi nequeant, nisi probe rimeris quarumvis partium naturam. Tales usus ferè non observatos ab iis, qui ad minutias conversi, faciebant intelligendo ut nihil intelligerent, prolixe edisserit *lib. 2. Ad. An.* ubi inter alia, postquam enarraverat causas, cur exteriorum partium cognitio sit necessaria Medico; *Linguæ autem musculos*, inquit, *percipere, quot videlicet numero sint, & quales specie, supra usum artis conducit: Non tamen præcipuum est, neq; necessarium. Dico supra usum, quod talia curiosiùs inquirere Sophistarum gratia cogimur, &c.* Vid. conf. *L. 1. non procul ab init.* & *L. 17. de Us. P.*

§. II. Inde *Empiricis vana haberi cœpta Anatomica*, inprimis quod exteriorum partium accuratissimam cognitionem quoad musculos, nervos, venas, quæ usu erat maximè necessaria, abjectam viderent, quam ipsi melius, inspectione vulnerum edocti, callebant, quàm Anatomiæ Professores. Ita enim *Galenus 2. Ad. An: totius itaq; Anatomæ pars utilissima in his consistit: quorum potissimum accuratam tractationem magni illius Professores omiserant. Satius enim erat cognoscere, non quot membranas singulis cor orificiis habeat. -- Verum à quibus quidem musculis extenditur brachium. -- Hæc siquidem Medicis tam sunt necessaria, ut ne ipsi quidem Empirici, qui contra Anatomen Libros integros commentati sunt, ipsorum scientiam au-*

 dean;

deant damnare, sed fateantur potius omnium id genus cognitionem esse utilissimam. Verum ajunt ex frequenti vulnerum factorum inspectione naturam ipsorum abundè satis intelligi. &c. Quibus cum conf. *L. de sectis ad eos qui introducuntur c. 11.* It. *præfatio Celsi*, Et illa fortean est causa cur *Sextus Empiricus* aliarum plurium licet artium, Anatomicæ tamen mentionem non injecerit. Videturq; *Methodicorum eadem* fuisse *hæresis*, uti subinnuit *Gal. de sectis ad eos qui introducuntur c. 19.* Invectus in ipsos, quod sex mensium spatio artem se edocturos prædicarent. *Non enim puto*, inquit, *methodo exiguâ opus esse, ad ea quæ nostros sensus effugiunt cognoscenda, sed hoc rite facienti primum corporum incisio necessaria est, à qua ut naturâ interiorum partium singulæ se habent, edocemur &c. conf. c. 15. & c. 17.*

§. III. Accessit, quod *cum à plerisq; libri conscriberentur post institutas scholas & professiones*, ex his *plurimi* amarunt Anatomici videri quam esse, *manum operi nunquam admoventes:* de quâ re justam *Galeni* querelam legere est *2. Ad. An. 1.* ubi causas memorat, cur Veteribus minimè vitio vertendum, quod de administrandis consectionibus nil scripserint: scilicet quod à pueritia usu hanc artem addiscerent: *unde*, inquit, *protinus necessariò accidit, ut eam infelicius condiscerent, exercitatione, quam à pueritia auspicari solebant, abolitâ.* Quo in loco *origo Anatomicorum Commentariorum* itidem exponitur: *cum igitur*, pergit, *ars Asclepiadum familiâ excidisset, deinde multis successionibus in deterius vergeret, opus fuit commentariis, quæ speculationem ipsius integram conservarent. Antea enim non tantum administrationibus Anatomicis, sed ne libris quidem indigebant: cujusmodi Diocles sane primus, quorum memoria ad nos pervenit, posteritati reliquit, -- potius erat (ut dixi) libris medicinalibus -- contemplationem Anatomicam intermiscere, quomodo Hippocrates factitare videtur.* H. I. Dioclem secutus est Marinus, quem propterea in fronte hujus libri laudat, quod eò res pervenerat, ut illis carere non posset ista ætas.

§ IV. Neqve vulgus solum Medicorum *Galeni tempore* exercitia Anatomica deposuerat, sed & ipsi *Professores Anatomica detrectârunt manus cruentare* cœdibus animalium. Ideo ipsos sæpiùs perstringit, quòd ad disputationem magis, quàm ad studiosam consectionem declinaverint in re dubiâ; e. g. *1. Ad. An.* Aut si semel inspexerant Anatomicam demonstrationem quod illi acquieverint, non meditantes

tantes

tantes plus ultra; e. g. 7. *Ad. An.* suo exemplo monens non visa sæpius deinde inspiciendo addisci: In eos, qui repente, ceu heri, aut nudius tertius ipsam adierint confectionem, persvasi, ea, quæ prius non viderint, ut denuo inspicere non aggrediantur. *Ego itaq; Deos omnes juro*, inquit, *multa quæ priùs nequâquam mihi erant visa, deinde aliquando me animadvertisse, atq; inter hæc cordis os existit, &c.* ita & *L. 1. multa certe id genus in universo animante Anatomicis neglecta offendimus, quippe quos diligenter incidere pigeret, contentos dixisse, quid probabile sibi maximè videretur.* Quapropter istis ignorantiam sæpius objicit. *Hæc itaq;*, inquit *L. 2. in cathedra sublimis aliquis sedens discipulis dicere, in ipsis autem operibus artis docere non potest, ut qui ipsemet primus omnes dictorum animalis instrumentorum particulas ignoret.* Et *non multo post: Nam hoc tempore secus ipsos factitare video, qui Anatomicâ speculatione administrandâ dignos se existimant: ignorant enim adhuc &c.* V. & alibi *L. c. Atq; hâc de causa Professores Anatomici hunc musculum pro uno numerant, &c.* conf: *L. 4.* ubi dissectionum *Professores quidem novisse* dicit, *musculosam compaginem cuti in fronte subjectam, ipsiusq; actionem, alia non item.* & *L. 5.* de musculis intercostalibus. *Quorum neq; ipsorum naturam vel actionem Anatomici Professores cognoverunt. &c.* H I.

§. V. Inde adeo ipse sæpius adhortatur, ut quis demonstrationes Anatomicas inspiciat, & suâ manu secet magis, quàm ut ex libris hæc addiscat, ita *sub init. L 2. Ad. An. Hoc autem sit opus tuum, hoc studium, ut non librorum modo lecturâ, verùm sedulâ etiam inspectione fideq; oculatâ, cujusq; ossis humani speciem accuratè perdiscas.* Et *postea: Quod si lectione solâ, citra simiarum ossium speculationis usum ac consvetudinem, nitaris, haud poteris, ita ad amussim hominis cadaver repentè visum cognoscere nec recordari.* Quæ posteriora repetit *in L. 3. de Compos. Med: per genera.* Et *alibi*, quorum infra fiet mentio. Tales *Anatomici è libris edocti* etiam *fuerunt Empirici*, quos cit: *L. 3. de C. M. per genera* pluribus damnat. Idem crimen *Galenus* Philosophis sui ævi intentat. *L. de format. fœt. c. 1.*

§. VI. Hæ fuerunt *causæ Anatomicæ labantis*: potissima, quod manibus cultorum suorum non erigeretur. Quamvis nonnulli satagerint usu ipso hanc suam facere, quos inter & *Galenus* censendus. Licet olim & hic se indignum judicârit, manibus propriis Anatomica exercere studia, postea rectius intelligens, quanti esset propriis, quam

alienis manibus res tractare, non minoris, quam ſuis videre oculis,
ipſemet diligenter ſectionibus incubuit, uti teſtatur *1. Ad. An: Cæte-*
rum accuratè cum omnia qui ſe in Anatomicis exercitat, conficere o-
portet, ut ne vel propriis ipſum manibus pellem auferre pigeat. Nam
octo ſtatim muſculos ignorârunt, qui ante me ſimias aliis excorian-
das, quemadmodum ego quoq; ſub initio, commiſerunt. Et *paulo poſt:*
Primum itaq; famulorum mihi aliquis ſimias excoriabat, cum videli-
cet opus id detrectarem, vilius exiſtimans, quàm ut à me adminiſtra-
retur. Poſtquam vero &c. Vid.

§. VII. Et *Galenus Stator fere ſalutari meretur fugientis peri-*
tiæ Anatomicæ, cujus ævo paulatim ad interitum vergere occœpit.
Neq; eſt quod quis *ejus ætate maximè floruiſſe* autumet, quando apud
ipſum, majorum in ſecando experientia, illi coætaneorum longe vi-
detur poſtponi. e.g. *L. de fœt: form: Prius quidem igitur quam res*
artis ſectoriæ nondum in tantam cognitionem perveniſſent, in quan-
tum nunc progreſſæ ſunt, par erat dubitare &c. cui adſtipulatur *A-*
verroës in 4. de P. A. ſub fin: Quod quidem Galenus jam de homine
tantum id fecit; promittens idem de omni genere animalium. Nam
notitia Anatomiæ particularium membrorum animalium jam perfe-
cta habebatur ſuo tempore, vel ferè perfecta: quia erat diffuſa valde
ſcientia in illo tempore & auxilium ad res humanas. Hæc autem por-
tio eſt, quæ remanſit illi, qui venit poſt Ariſtotelem ſi velit ipſam per-
ficere. H.I. Verum quam ætatem Galenus opponat iſti majorum ex
Comm. 2. in L. de nat: hum: Hipp: eſt videre, ſcil. illam Herophili,
Eudemi, Marini &c. locum ſupra c. VII. §. IX. dedimus: ita & *Averroïs*
iſta, præciſe non de Galeni, ſed de illorum, qui anteceſsêre temporibus
ſunt intelligenda. Ipſe ſiquidem *Galenus*, non ſolum *ſupra citatis lo-*
cis, ſed & *comm: in L. de fract. Hipp. ſub init:* quando dicit ſe noviſ-
ſe pleroſqve eorum, qui librum ſuum lecturi ſint, eſſe diſſectoriæ di-
ſciplinæ ignaros: *Sui ævi negligentiam digito* quaſi *monſtrat.* Rege-
res: Galenus tamen toties gloriatur, à ſe auctam rem Anatomicam:
ita *1. Ad. An. ſub init: multas interea conſectionum ſpeculationes adin-*
venimus. Et *alibi -- diu interea in conſectionibus ſpectandis verſatus,*
ut quædam inſuper exactius elaborata adinvenerim &c. conf: *3. de*
Comp. Med. per genera. Et *Averroës in 3. de ll. P.* de ſepto transverſo;
laudemus ergo de hoc juvamento Galenū, addamusq; ipſum aliis juva-
mentis narratis ab antiquis, quemadmodū tenemur laudare ipſum de

rebus

rebus manifestatis in arte Anatomica. H. I. Verum ex datis locis Galeni, licet colligere Ejus profectûs in Anatomicâ successu temporum, non item præstantiam præ majoribus, aut quod iis non cognita ipse detexerit omnium primus. conf. *L. 7. Ad: An: Averroës* vero tale quid sibi facile persvasit, cum Galeno antiquiores non vidit Anatomicos. Diffiteri alioquin possum minimè *Galeni ambitionem, transferendo in se alieno labore partam gloriam*, quod salem habuerit: cujus *exempla* suppeditabo insignia, *alterum* quando, quæ Rufus Ephesius citra ullam jactantiam profert tanquam in vulgus nota, Galenus sibi tribuens Auctori, ipse sibi præco, à se inventa proclamat, de Tuba Fallopiana, quod inferius prolixe adducetur. *Alterum* de arteriis Soporosis: *2. de Pl. H. & Pl.* prolixe excurrens, qui ipsi mos est, quoties gloriolam affectat, de his pronuntiat, quod non propter arteriarum, sed propter nervorum ligaturam animal reddatur mutum: hoc candide *Rufus Ephesius* impertivit. *L. de part: C. H.* καρωτίδας δὲ τὰς διὰ τοῦ τραχήλου κοίλας ὠνόμαζον πάλαι, ὅτι πιεζόντων καρώδεις καὶ ἄφωνοι ἐγίνοντο. ὤφθη δὲ νῦν τὸ πάθημα οὐ τῶν ἀρτηριῶν, ἀλλὰ νεύρων αἰσθητικῶν πεφυκότων πλησίον, ὥστε εἰ ἐθέλοις μεταθεῖναι τοὔνομα οὐκ ἂν ἁμαρτάνοις. *Carotidas vero appellarunt Vasa jugularia veteres, quod his comprehensis soporosi & muti redderentur. Nunc autem deprehenditur ille affectus non arteriarum, sed nervorum sensoriorum prope existentium, quos si ita velles nominare transposita appellatione, non peccares.* Ita puto etiam comparatum esse cum aliis, quæ à se inventa jactitat majoribus cœcâ nocte sepulta. Ubi *3. de M. C. per genera.* Et passim *in Ad An. & de U. P*, ubi vel nervos, vel musculos, alios atqve alios à se animadversos, qui majores effugerint, recenset. Admodum gloriæ appetentem fuisse & illud indicat, quod superius de ἐγχειρήσει, quam ab Extispicibus addidicerat, tanquam sibi suisqve discipulis propriâ sermones serat, nullâ mentione factâ auctorum. Multo magis id eluceret si *Herophili & Marini* &c. exstarent volumina Anatomica, quæ bonus hic compilavit. Si tamen quædam invenit, alia plura se exscripsisse prodidit, plurima etiam se ignorasse cum aliis confessus fuit itidem, ut res ipsa reddet passim manifestum. *L. 10. de U. P.* de anguli majoris musculo dubitans finit tandem. *Quod si mihi ipse olim persvasero rem omnem pulchre invenisse in L. de dubiis motib: (quem ego scribere constitui) id indicabo. Nunc autem de eo mihi solum dixisse suffecerit, naturæ solertiam*

esse tantam, ut cum eam tanti viri tamdiu conquisiverint, omnem ta-
men non invenerint. Si quoqve quædam sapuit, ultra vulgus Anato-
micorum sapuisse dicendus est, cujus errores potuit taxare & repre-
hendere, isqve ipsi occasionem præbuit scribendorum *librorum, de*
erroribus Anatomicorum, quos citat sæpius 2. *de U. P.* &c. Erasistra-
tum vero, Herophilum, & Marinum non æquavit, nedum ut supera-
verit: quia in aliquibus felicius illos exscripsisse, quam intellexisse
videri potest; Cujus rei argumenta alii loco servamus. Atqve posito
quod Galenus excelluerit, ipsi peculiaris insignis hæc eruditio, neuti-
quam popularis illi ævo eadem cessit.

CAP. IX.

I. De fato Anatomicæ post Galenum, quod paucos cultores inve-
nerit II. quomodo ab Arabibus excepta aut exculta. III. A Scho-
lasticis neglecta IV. quando in lucem revocata adsurgere cœperit.
V. maxima ipsius hoc seculo incrementa.

§. I. Ex illorum, quæ Galenum exceperunt, seculorum mo-
numentis vix digni quidpiam de rebus Anatomicis est percipere, ideo
in oblivionem venerunt, nisi quod *Peripateticorum quorundam Phi-*
losophorum scripta harum prodant memoriam. Imprimis *Alexan-*
der Aphrodisæus proximè à Galeno retinuisse adhuc artem videri
potest, ex problematibus, &c. si non eâdem æt. Idem floruit, quod
Abul-Pharajii ista indicant. --- *hoc tempore fuit Alex. Aphr. -- in-*
ter quem & Galenum variæ fuêrunt disceptationes; ab hoc *Ori-*
basius longiori intervallo, aliquantum studii impendit, tempore
Juliani Apostatæ cui fuit familiaris, teste *Suid. in* Ὀρειβάσι: conf.
ap. Phot. Philostor. 7. H. E. 15. eiqve numerosos inscripsit libros,
quorum fragmenta extant. *Themistium* quoq; Philosophum proba-
bile est studia cum hoc junxisse, quod non minus memorati Impera-
toris consvetudine sit usus. Ante hos *Eustath. Patriarcha Antioche-*
nus & Martyr. Sec. IV. *Com in Hexaëm. p. 88.* de illo, *quod Pharao*
in rerum agendarum stuporem à DEO non vi coactus, aut impulsus;
Suo tempore, non adversante Ecclesiâ, sed suffragante magis ob
insignes usus, obtinuisse innuit, ut suppliciis defunctorum corpora
sectionibus paterent. ὥσπερ γὰρ, inquit, οἱ ἄριστοι τῶν ἰατρῶν ὠφελι-
μοῦς ἐπινοῆσαι τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει σπουδάζοντες, τὰς θανατικῇ ἀπο-

φάσει

φάσιν ἀποβληθέντας αἰτησάμενοι ἀνατέμνουσιν, ἵνα διὰ τῶν ἀποδικῶν τῷ θανάτῳ ὠφέλιμόν τι τοῖς ἀνθρώποις ἐκφέρωσιν. Quantulumcunq; verò postea temporis Græci scriptores, invalescente barbarie, ex rebus Anatomicis intellexerunt, Galeno ipsos debere certum est. Ex hoc scilicet absq; dubio suam Anatomicam peritiam hauserunt, ex quo & Medicam exscripserunt. *Oribasius* & *Theophilus Protospatharius* vel titulis fatentur libros Galeni in Epitomen à se redactos, imprimis Anatomicos. Uti Medica Oribasii rursus se veluti digessisse, *Paulus Aegineta in præfat.* profitetur, scriptaq; idem loquuntur. *Aëtius* non minus Oribasium secutus. (quamvis *P. G. Andernaco in Epistolâ Nuncup. Alex. Trall. Præfixa* coævus dicatur) Cum ipsum sæpius alleget. e. g. *Serm. XI, c. 7, 10. & 11.* saltem videtur ejus institutum suum fecisse, pluribus adductis Auctoribus. *Simplicius*, *Philoponus*, &c. *Peripatetici*, qui de animalibus sunt commentati, Aristotelem ducem uno agmine sunt secuti. Utriq; vero tam Medici, quam Philosophi regnante barbarie videntur de veritate securi, non manus admovisse ut experimentis se certiores redderent, sed cœco assensu in partes concessisse, sive Aristotelis sive Galeni; pauci fuerunt qui electione instituta, quæ veritati magis consonarent, ex istis magistris excerpserint. Hos inter est *Auctor Isag. Anat. Auctor Anatomiæ vivorum ap. Galenum*, si non is Arabs est, quod ipsi in pluribus non solum quoad sensum, sed & quoad formulas loquendi conveniat cum Avicenna: hoc discrimine, quod quæ Avicenna habet interdistincto curationum ordine, hic continuâ recenseat serie congesta.

§. II. *Barbarisq;* aliis *seculis idem fatum Anatomicam, quod cæteros liberales artes mansit*, scil. ut cœca involveretur nocte, *donec ab Arabibus ex Græcorum scriptis rursus in lucem protraheretur*: Galenum potissimum hi suum fecerunt, ut tamen nec Aristotelem negligerent. *Avicenna* hunc sæpius Galeno præferente, contra quam *Averroës* qui Galenum magis admiratur. Sed quod injuriæ temporis est adscribendum, *non optimis manuscriptis veterum usi fuerunt Arabes. Averroës comm: sub finem in 5. de G. A.* queritur *quod magni errores fuerint in libro ex quo transtulit, quodq; nullum viderit interpretem.* Philoponus enim ipsi non cognitus. Atqve eam querelam cum excusatione antecedentia ejus habent. Et licet Rhasis, Avicennæ, Averrois, Alfaharavii, &c: Arabum scripta quis evolvat, nihil peculiare ab iis inventum aut explicatum deprehendet. Forte *nec* uspiam *indicia*

extabunt,

extabunt, quibus solide possit evinci, *ipsos Arabum principes solidas demonstrationes Anatomicas instituisse*, atqve propriis experimentis fidem placitis veterum vel addidisse, vel detraxisse. *Averroës* passim *comm: in libros de P. A. & G. A.* eo usqve Aristotelem defendit, quo usqve Anatomias Galenus non objicit, quod ubi contingit trepide admodum illum explicat. Quin *sub fin: comm: in 4. de G. A.* vires sibi defuisse & occasionem fatetur, qui Anatomicæ beneficio perficeret partium animalium cognitionem. Quod, nisi me fallit conjectura, Mahumedanorum consvetudine pecora mactare, qui in causas abditorum morborum, aut rerum naturalium rationes penetrarent, prohibiti, ut etiamnum apud illos obtinere novimus, religioni magis duxisse credendi sunt per varias pecorum neces ad hanc scientiam grassari, quam quod socordiâ ab his exercitiis abstinuerint. Empiricos imitati Anatome κτ̃ περίπτωσιν seu fortuitâ fuerunt contenti, & lectione dictorum librorum Anatomicorum, Aristotelis & Galeni. Neqve nostra ætate est ex monumentis historiarum cognoscere, quod apud Gentes quæ Mahumedem suæ Religionis agnoscunt Auctorem, vigeat Antomica, quod etiam confirmant, qui illas oras nupere frequentarunt.

§. III. Quantumcunq; igitur ex Græcis Principes Arabum exscribere noverunt, tantum etiam per successionem posteritati tradiderunt. Ex his vero male, ex Græcis, qui paucissimos viderunt, pejus intellectis *scholasticorum turba* sua quæ de animalibus habet, exigua quamvis compilavit. Nulla huic generi hominum de αὐτοψίᾳ cura, rumusculos captantes absurdissima omnium fictâ experientiâ confirmare ausi sunt. Quin nec ad illud quidem attenderunt sæpius animum, ut documenta levia licet afferrent, sed ratiunculis vanissimis commoti, temere de partibus animalium, quas nunquam oculis usurparunt definire nulli erubuerunt. Non referam *Alberti Magni, Thomæ, Scoti*, aliorumqve figmenta de sedib: sensûs communis, phantasiæ, memoriæ, de ortu nervor: in quos censura *Vesalii* meretur legi. Unicum solum *ex commentario novo & valde Magistrali* (hunc præ se fert titulum) *in L. de secret. Mulier: Alb: Magn: creditum*, proferam, ex quo supina Scholasticorum negligentia in Anatomicis ad oculum patebit: de cellulis uteri sollicitus est sententias adducere -- *gratia cujus sciendum*, inquit, *quod secundum aliquos matrix mulieris non ha-*

bet

bet niſi duas cellulas. Et motivum iſtorum eſt illud, quod mulier habet tantum duas mammillas, ut tantum poſſit nutrire duos fœtus. Alii dicunt quod matrix mulieris habet tres cellulas, --- Et motivum eorum eſt quod expertum eſt, quod aliquando mulier peperit tres fœtus. Alii dicunt quod ipſa matrix novem habet cellulas, -- Et motivum eorum eſt, quod aliquando perceptum eſt, quod mulier peperit novem pueros &c. Vid: Inde adeo multæ perverſæ ſententiæ, quæ altius animis diſcentium inſedêre, quam ut eximi poſſint, per traducem propagatæ, ſcholas non ſolum Philoſophorum ſed & Medicorum impleverunt, in quibus dictaturam, in aſſignando partibus locum, illi exercuerunt perpetuam, qui nunquam exta introſpexerunt, qui non tantum quantum lanio aut coqvus, noverunt in animalibus diſtingvere. Cujusmodi rationes *Gal. 8. de Pl. H. & VI.* impudentiæ arguit, ſi qui ea quæ nunquam viderunt, tanquam videntes ſcribere non verecundantur. *Petrus de Abamo* Conciliator dictus, *cum Arnoldo de Villa Nova* (Sec: XIII. fin: XIV. init:) tamen inveniuntur rectius Arabum placita percepiſſe, quod linguas callerent, chirurgicis inſuper obſervationibus & Medicis inſtructi ex αὐτοψία.

§. IV. Contigit autem ut *ſub finem Seculi XVti nonnulli rurſus* manum operi Anatomico admoverent, quos inter *Mundinus* fuit, qui Anatomen de omnibus humani corporis interioribus membris edidit Venetiis an. 1507. Ab hoc *Jac: Carpenſis* præcipuè nominandus, *quem primum Anatomicæ reſtauratorem ſalutant Fallopius in obſerv.* & *Bauhinus in Theatr. Anat:* annuente *Evſtachio*. Verum, Avicennæ potius auctoritate, quam ſolidâ rerum experientiâ ſua quoqve adſtruere anniſi fuerunt, & deſultoriè ſectiones inſtituerunt, uti docet *Veſalii ad Carolum V. præfatio*. Incerti quoqve quid ſ. n. quid p. n. in partibus interioribus habendum, ſemper veriti ſunt, ne aliquid monſtri aleretur, portentoſa referentes quæ naturæ ordine contingebant. Cui rei fidem addit *Realdus Columbus Cremonenſis L. 15. de re Anatomica*. *Andreæ* autem *Veſalii* induſtriâ potisſimum Sec. XVI. factum, ut Anatomica ex tenebris in lucem protraheretur. Invitavit enim ipſius ex virtute, quâ ad gloriam graſſabatur, ſuccesſus plurimos æmulos, Italos imprimis. Atqve Hic ſi non reſtauratoris, ſoſpitatoris encomio præ aliis dignus eſt maximè. Quamvis non levior gratia debeatur, *Bartholomæo Evſtachio* acutisſimi adprimè judicii viro ac induſtrio, *Realdo* item *Columbo*, *Gabrieli*

Fallopio: præter *Andernacum*, *Carolum Stephanum*, & cœteros, quos eadem fere vidit ætas. Ut *Platerum*, *Bauhinum*, *Laurentium*, *Paræum*, aliosqve plures seculi istius Anatomicos silentio prætercam.

§. V. *Nostro* vero *ævo Anatomica tantum alias inter caput extulit artes, quantum lenta solent inter viburna cupressi*, conspirantibus in ejus cultum omnibus eruditæ Europæ civibus. Adeo in Germania, Italia, Gallia, Anglia, Dania, in omnibus Provinciis in quibus Christianorum res vigent, (exceptâ Russiâ & Æthiopiâ quippe penes hos populos nec Ars Medica floruit unquam: *de Russis Olearius L.3, 6. itiner: Pers.* refert, quod ab Anatomia & sceletis abhorreant: *de Æthiopibus Jobus Ludolph. 4. Hist. Æthiop. 2. §. 8. & seqq.*) Anatomica frequentantur exercitia, atqve experimentis innumeris quorumvis dicta ad incudem veritatis revocantur; cum novis quæ meditando extundant, labor indefessus impenditur, usqve ad inutilem subtilitatem, *CL. Bartholino*, qui magna pars fuit Anatomicorum hoc seculo gestorum, teste. Quin ab exiguis profecta initiis eò crevit, ut jam magnitudine laboret suâ. Imprimis cum à plerisqve, uti olim, etiamnum omittantur illa, quæ usûs sûnt maximi, quod illis sint intenti, quæ propter subtilitatem cum maxime reddantur dubia, non facile fidem impetrent, sed potius in contemptum abeant. Qui contemptus, facile fieri potest, ut ne totam rem ut quondam corrumpat. Cujus rei suspicionem movent illa *Nollii de Remora studii Medici n. 14.* Quousqve tamen Erudita sibi constat Europa, & Anatomica sibi constabit, speramus. Neqve enim uno loco, sed omnem per ejus orbem nostra vigent studia; ut hæc pagina digne recensendis Principibus Anatomicis non sufficiat. Satius est ex scriptis, quæ extant, vivam illorum memoriam legendo & imitando animis penitus insculpere. Apud alias gentes infrequens Anatomicæ est usus. Neqve enim apud *Chinenses* excolitur, licet hi aliis in Arte Medica palmam præripiant, quippe qui vel ex pulsu solum cognoscere traduntur affectos locos *ap: Cornel: Hazart P. 1. c. 3. Cathol:* Christenth: conf: *Nic: Trigautii de Christiana Exped: apud Chinens. L. 1, 5.* Siquidem quam rudes sint in cognoscendis partibus internis, schemata declarant quæ *Andr: Cleijer in specimine Medicinæ Sinicæ* exhibet. Eadem *Indorum* & Orbis Christianâ fide non tincti, populorum conditio: nulla his Artis Medicæ, nulla

Anato-

Anatomicæ peculiaris cura: quin superstitiones, quibus animi plerorumqve, Mahumedanorum inprimis, sunt defixi, videntur facere, ut abhorreant à lustratione, quæ cultro peragitur anatomico: Cui fidem passim facient Itineraria.

COROLLARIUM.

De Nutritione Embryonis.

I. *Historia Philosophica ap. Gal.* adducit Aa., *qui fœtum per os* nutriri voluerunt, Democritum & Epicurum; *qui per Umbilicum*, Stoicos; unum, *qui instar spongiarum*, Alcmæonem. Tergeminæ hujus sententiæ vestigia *in Hippocr.*: rationes, *in Deusing.* & ex eo in *Ephem. Erud. Gall. An. 66. & 81.* est legere. Conf. *Needham in Act. Philos. Angl. an. 67.*

II. Nos *Nutritionis per os argumenta* in *Disput. de Generatione Spirituum* dedimus; 1. à pipionibus intra testam rostri usum ostendentibus: 2. à coagulo, in ruminantium potissimum ventriculis, manifestò deprehenso: 3. à vitelli, pennatorum, in intestina transitu: 4. à fecibus in interaneis promiscuè omnium: 5. 6. ab œconomiâ nutritionis; atqve à Circuitu Sanguinis.

III. Sententiam nostram plures confirmare videntur *historiæ*. Egregia est *Hertodii in Ephem. M.P. Germ. an. 70. Obs. 60.* Cui gemina *Heurnii in L. de morb. Mul. c. 8.* citante v. d. Linden *Exerc. XX. de Circ. Sang.* §. *40.* Verum omnium memorabilis maximè quam *Hic* à Parente traditam, diversæ licet sententiæ extiterit defensor, *l. c.* §. *38. 39.* candidè impertivit.

IV. Istis simillima observavimus αὐτόπται, quando porcinum 7. fœtibus prægnantem coram pluribus dissecuimus Uterum. Solutis chorio, allantoide, amnio, *liquori amnii innatantia* vidimus *quasi semina*, ex flavo rubentia, oblongiuscula, incer-

incertæ aliàs figuræ & magnitudinis, cicerularum ferè æmula. Exploravimus attritu, & *mucosum*, atqve tenax, coaguli instar, *flavo* tingens *colore*: Sapore, & *insipidum* ad dulcedinem vergens, deprehendimus. Sat magnâ ubiqve aderant *copiâ*. Exin attentius omnia scrutati, *lineam dorsi* in quibusdam, in omnibus vero *rostrorum & rictuum limbos* flavedine quâdam infectos offendimus. Aliorum *rostris, rictibus, imo dentibus* (qui solidi & grandiusculi omnibus aderant) *semina hæc impacta* hærebant. Hinc satagentes, diducto magis ore *palatis, linguis* insidere; & *ventriculis* incisis, coagulis permista istiusmodi advertimus: quin ipsis *intestinis* adapertis tenuioribus & *cæco* non pauca exemimus.

V. Fortè & Aa., & rationibus, quæ huic sententiæ adversari creduntur, sive à v. d. Linden *l. c.* §. *35. seqq.* sive *à Raygero in Eph. Ger. An. 6. 7 Obs. 202.* sive aliunde etiam adducantur e. g. ex Obs. *CL. Kerckring. in Spicil. Anat. 118.* est quod reponi possit.

VI. Quod *seminia*, donec inductioni sufficientia se obtulerint experimenta, suspendimus judicium, an f. n. ista in porcino genere existant. *Conjectura* nos eò duceret, ut ex sanguinis p. n. motu, qui transcolationis perturbavit circulos, limpidumqve laticem amnii alveo invehi negavit, esse crederemus.

VII. *Chyli* vero aut *lactis nullum*, seriò licet in id intentis, *indicium* comparuit; Cum neqve aliàs lactea vasa in ullo Embryonum, utut vivos, neqve unius generis, subinde dissecuerimus, deprendere unquam datum fuerit.

N^ro^ 120.

Konsystorz Jeneralny
[illegible] Warszawskiey.

[illegible] chwalebnym zdaniem do Kom-
[illegible] nych i Publicznego Kon-
[illegible] zeniem XX Kamedułów
[illegible] Dzierżawę Domu w War-
[illegible] 1800 na lat 6 zawarty, do za-
twierdzenia podaie JX Superiorowi, aby gdy

N^ro^ 120.

Konsystorz Jeneralny
Archidyecezyi Warszawskiey.

Przestawszy z przychylnym zdaniem do Kom. Rząd Wyznań Religiynych i O. Publicznego kontrakt między Zgromadzeniem XX Kamedułow a JP Jarnowskim o Dzierżawę Domu w Warszawie pod N^rm^ 1806 na lat 6 zawarty, do zatwierdzenia poleca JX Superiorowi, aby gdy